De saltationibus Graecorum

capita quinque

scripsit

Kurt Latte

Gießen 1913
Verlag von Alfred Töpelmann (vormals J. Ricker)

Religionsgeschichtliche
Versuche und Vorarbeiten
begründet von
Albrecht Dieterich und **Richard Wünsch**
herausgegeben von
Richard Wünsch und **Ludwig Deubner**
in Königsberg i. Pr.
XIII. Band. 3. Heft

Kapitel III und Appendix ist auch gesondert als Königsberger Dissertation 1913 erschienen unter dem Titel: *De saltationibus Graecorum armatis.*

LUDOVICO DEUBNER

PIETATIS ERGO

Caput I

De auctoribus περὶ ὀρχήσεως

Non fugit Erwini Rohde doctum acumen [1] in Athenaei de saltationibus loco (XIV 629 c sqq.) statim in exordio hiare sententiarum conexum. Profectus enim a laudibus musicae veteris, quae sola viris digna fuisset, eandem mentem in illorum saltationibus cerni contendit, scilicet in pyrricha, quae variis nominibus apud Cretenses ferretur. *Τὴν δ' ἀπόκινον,* pergit, *καλουμένην ὄρχησιν*, *ἧς* (*ὥς* A: Casaub.) *μνημονεύει Κρατῖνος ἐν Νεμέσει καὶ Κηφισόδωρος ἐν Ἀμαζόσιν Ἀριστοφάνης τ' ἐν Κενταύρωι καὶ ἄλλοι πλείονες, ὕστερον μακτρισμὸν ὠνόμασαν.* Quid haec ad priscum illud dignumque armorum exercitium! Recte Rohde (l. s.) diversum huius partis auctorem a priore dixit. Accedit aliud: servata sunt saltationum nomina praeterea apud Pollucem (IV 99 sqq.) et in Diogeniani lexico. Quorum tantus est cum nostro loco concentus, ut eundem esse omnium fontem iamdudum viri docti statuerint. Neque tamen huius consensus vestigia ultra Athenaei p. 630 a invenies. Tertium, quod idem vidit Rohde, pyrricha in hac parte inter „ridicula“ saltationis genera recensetur (629 f). Sed hanc quoque partem ex duobus libris exscriptam esse Rohdio vix concedam [2]. Ille eo praecipue nisus est argumento, quod bis nonnulla enumerarentur. Quam rem paulo aliter explicandam esse mox apparebit.

---

[1] E. Rohde, De Iulii Pollucis in apparatu scaenico enarrando fontibus. Lipsiae 1870, 39 sqq.

[2] C. Bapp, De fontibus quibus Athenaeus in rebus musicis lyricisque enarrandis usus sit (*Lpz. Stud.* VIII 1885), et ipse Rohdio oblocutus est (117).

Incipit 629c ab *ἀποκίνωι,* cuius vocis exempla affert a vetere comoedia petita. Hanc postea *μακτρισμοῦ* nomen accepisse. Quae pugnare videntur cum p. 629f: *καὶ γελοῖαι δ' εἰσίν ὀρχήσεις ἴγδις καὶ μακτρισμὸς ἀπόκινός τε καὶ σοβάς.* Cum posteriore loco congruit Pollux (IV 101) *μακτρισμὸς δὲ καὶ ἀπόκινος καὶ ἀπόσεισις καὶ ἴγδις ἀσελγῆ εἴδη ὀρχημάτων* (om. B). Difficultatem inesse concedo. Sed videamus cetera. Enumerat Athenaeus tranquilliora (*στασιμώτερα*) et simpliciora genera, quae eadem et antiquiora sunt; tum ea, quae cum furore exprimuntur[1], recenset; sequuntur, quae ad vina pertinent. Agmen claudunt ridicula, quae quasi appendicis loco excipiuntur a duabus saltationibus cum tibiarum cantu coniunctis. Denique *σχήματα ὀρχήσεως* afferuntur, singuli gestus habitusque, omnis saltationis prima fere elementa. In his denuo *θερμαυστρίς* numeratur, quae iam antea inter *μανιώδη* occurrit. Sed aliud sunt singuli gestus, aliud saltatio ipsa, quae aut eisdem figuris continuatis aut variis coniunctis constat; neque est mirum gestus nomen saltationi inditum esse vel invicem ab illa nomen accepisse, si quando uno gestu tota saltatio peragebatur[2]. Quare Bapp recte iudicavit (l. s. 118) neutrubi *θερμαυστρίδα* deesse potuisse. Etiam apud Pollucem bis occurrit (IV 102. 105). Iam enumeratio interrumpitur exemplis interpositis, in quibus qua ratione Athenaeus excerpserit, commode videre possumus. Attulerat nomina *καλλαβίδες, σκώψ, σκώπευμα*; in hac voce explicationem, quam apud auctorem suum invenit, addere necessarium arbitrabatur. Sed ubi primum laterculum vocum explicatione intercalata turbavit, praecedentis quoque vocis exemplum exscripsit, explicationem tamen omisit. Sic demum intellegimus, cur inverso ordine exhibeat *καλλαβίδες, σκώψ,* exemplum *σκωπός,* exemplum *καλλαβίδων.* Nihil igitur opus est alterum auctorem de saltatione advocare ad hanc repetitionem explicandam, sicut Rohde voluit. Omnino postquam certa ratione in hoc

---

[1] Cf. inter se similiter oppositos *statarios* actores in scena et eos, *qui celeri motu et difficili utantur.* Cic. Brut. 116.

[2] De *σχημάτων ὀρχήσεως* usu antiquiore nonnulla congessit van Leeuwen ad Ar. Pac. 323; adde, quae apud Athenaeum (I 21 e sq.) composuit Aristocles.

capite singula genera digesta esse cognovimus, hunc ordinem Athenaeo duorum auctorum compilatori deberi non facile nobis persuadebimus. Pergit post *καλλαβίδας* quoque in enumerandis figuris, id quod docet Poll. IV 105, qui *θερμαυστρίδα, σιμὴν χεῖρα, χεῖρα καταπρανῆ, ξύλου παράληψιν* et ipse inter *σχήματα* refert. Sed recurrit in fine, quae iam initio legebatur (629 f), *καλαθίσκος*. Cuius difficultatis solutionem mihi indicavit Deubner. Constat in libris antiquis eis vocibus, quae omissae in margine adnotabantur, locum sic indicatum esse, ut simul adscriberetur, quae in contextu eas sequi deberet vox (Brinkmann *Rh. Mus.* LVII 1902, 481 sqq.; Sudhaus *Herm.* XXXXV 1910, 478 sqq.). Nostro loco igitur *ἐπαγκωνισμός, καλαθίσκος* vel *ξιφισμός, καλαθίσκος* enotatum erat. Cum p. 630 a *καλαθίσκος* in eodem fere contextu legatur, in quo apud Pollucem IV 105 occurrit, hoc loco ex p. 629 f addemus vocem *ξιφισμοῦ*. Quam tragicis figuris adiungi bene conspirat cum Hesychi glossa: *ξιφισμός· σχῆμα ὀρχηστικὸν τῆς λεγομένης ἐμμελείας ὀρχήσεως* (= Phot. s. v.; Suid. s. v.; Paus. frg. 264 Schw.). Sic igitur hucusque excepto enuntiato *τὴν δ' ἀπόκινον — μακτρισμὸν ὠνόμασαν* 629 c omnia plana certoque ordine digesta. Sequitur locus de telesiade, quem hic minime exspectaveris. Nam et supra inter solidiora genera (629 d) commemorabatur et, quae causa sit, cur hic addatur, excogitari vix potest. Congruit tamen cum Pollucis § 99 vel hac re, quod utroque loco Telesias inventor saltationis affertur. Cum vero haec omnia bene ad ea quadrent, quae apud Athen. 629 d leguntur, quominus haec eiusdem auctoris putemus nihil obstat[1]. Athenaeus igitur his in calce additis turbavit ordinem; alterius auctoris vestigia nulla inveniuntur.

Iam ut enuntiatum, quod unum restat 629 c, explicemus, quo tempore scripserit Athenaei auctor, breviter consideremus; p. 629 f Menippi Cynici Convivium affertur, qui ut Stoicos irrideret, pantomimos induxerat *κόσμου ἐκπύρωσιν* saltantes. Ac ne quis hoc Athenaei e gazis depromptum putet, Hesychius quoque eandem novit: *κόσμου ἐκπύρωσις* (*ἐμπύρωσις* cod.) *ὄρχησις ἢ ὑπόθεσις*. Altera quoque eiusdem notae saltatio in

[1] Bapp l. s. 118.

Athenaei laterculo exstat *χρεῶν ἀποκοπή* (629 f). Sicut illa philosophi de fine mundi praedicantes illuduntur, sic hac oratores publici, qui in novis tabulis omnem salutem positam esse affirmarunt. Haec nos ad exeuntis Alexandrinae aetatis tempora ducunt, quibus crescente inopia homines novis rebus studebant. Quadrat Menippi commemoratio, quem tunc summo favore acceptum fuisse Meleagri Gadarensis et M. Varronis imitationes docent. Idem tempus pyrricha indicatur, quae 629 f inter ridicula i. e. lasciva affertur. Quam hac aetate omnem bellicam speciem deposuisse infra 58 sqq. exponam. Quare cum Athenaei auctor posteriorum temporum usum respexerit, vel 629 c, quae de *ἀποκίνωι* postea *μακτρισμοῦ* nomine appellato refert, ei deberi verisimile est. Omnino hunc locum cum altero 629 f non pugnare contendit Bapp (l. s. 118): „*ἀπόκινος* quod postea *μακτρισμός* nominatus est, inde non sequitur *μακτρισμόν* non posse antea diversum ab *ἀποκίνωι* fuisse". Plane eadem ratione *πυρρίχη* bis afferenda erat, inter bellicas saltationes et inter ridiculas. Sed cum Athenaeus pyrricham initio ex Aristoxeno commemoravisset (cf. infra 14), priorem omisit, quam solam affert Pollux (IV 99).

Hunc enim in onomastico (IV 99) saltationum nomina eodem fere ordine attulisse iam dudum notatum est (Rohde l. s. 29 sqq.; Bapp l. s. 117). Sed cum nonnulla hinc ad Pollucis rationem melius cognoscendam redundare putem, liceat denuo indices proponere.

Incipit Pollux a scenicis saltationibus, deinde ad bellica pergit:

Pollux § 99 sq.	Athen. 629 d
	δάκτυλοι
	ἰαμβική
ἐμμέλεια	*ἐμμέλεια*
κόρδαξ	*κόρδαξ*
σίκιννις	*σίκιννις*
πυρρίχη	*Περσική*
τελεσιάς	*Φρύγιος νιβατισμός*
ξιφισμός	*Θράικιος κολαβρισμος*
ποδισμός	(*καλαβρισμός* A E)
⟨διαρ⟩ρικνοῦσθαι	*τελεσιάς*

κῶμος
κωμαστική
ἡδύκωμος
κνισμός
ὄκλασμα (Περσικόν) cf. Rohde *Rh. Mus.* XXV 254, 2 =
φαλλικόν *Kl. Schr.* II 362, 2
καλλίνικος
κολαβρισμός, Θράκιον ὄρχημα καὶ Καρικόν

Apparet Pollucem multa immiscuisse, quae non huc pertinent; velut statim tres voces post *τελεσιάδα* insertas *ξιφισμός, ποδισμός, διαρρικνοῦσθαι.* Haec inter bellicas rettulit, quia *ξιφισμοῦ* ipsum nomen ei bellum indicare videbatur. Est vero *σχῆμα* (Athen. 629f, cf. 18). Neque cur cetera addiderit, difficile intellegitur. Coniuncta enim invenit apud auctorem suum, qui Cratini (frg. 219 I 79K.) versum attulerat *ξίφιζε καὶ †σπόδιζε† καὶ διαρρικνοῦ*[1]. Suo iure igitur Kaibel (Hermae XXX 1895, 432) ex hoc versu Polluci reponi iussit *⟨διαρ⟩ρικνοῦσθαι.* In figuris huic versui locum fuisse docet Hesychi quoque glossa *διαρρικνοῦσθαι· ἐπὶ σχήματος ὀρχηστικοῦ τίθεται.* Cum vero *διποδισμός* Athen. 630a in figuris compareat, *ποδισμόν* eodem pertinere unusquisque concedet.

Restant igitur *κῶμος, τετράκωμος, κωμαστική, ἡδύκωμος, κνισμός, φαλλικόν, καλλίνικος.* Quae omnia excepta voce *κωμαστικῆς* recurrunt apud Tryphonem *περὶ ὀνομασιῶν* (Athen. 618c = frg. 109 Velsen) inter tibiarum modos, qui saltatoribus accinebant. Parvula inest varietas, quod Trypho *ἐπίφαλλον* affert, Pollux *φαλλικὸν ἐπὶ Διονύσωι* consentiente Hesychio s. v. Eodem modo Hesychius et Pollux *πινακίδας* plurali afferunt (IV 103 Hes. s. v.), Athenaeus (629f) singulari. In his vero Pollux similiter atque Athenaeum supra vidimus cohaerentia diremit; *τετρακώμου* in fine totius capitis (105) addidit explanationem ampliorem. Sed in priore loco ut qui maxime haereo; tradit enim (99): *ἦν δὲ καὶ κῶμος εἶδος ὀρχήσεως καὶ τετράκωμος Ἡρακλέους ἱερὰ καὶ πολεμική. Πολεμική* vulgo refertur ad saltationem quattuor pagorum. Sed Trypho *πολε-*

[1] Versum Et. M. 270, 5 servavit *ἐκ τοῦ ῥητορικοῦ* (i. e. e Photio, cf. Naber, Prol. 170), ille procul dubio Diogeniano debuit.

μικόν affert inter nomina *αὐλήσεων* (l. s.). Qua de causa vereor, ut in Polluce distinguendum sit post *ἱερά*, ita ut legatur: *καὶ τετράκωμος, Ἡρακλέους ἱερά, καὶ πολεμική.* Sequuntur apud Pollucem quoque vividiora, sed multis aliis intermixta; in paragrapho 103 rursus plane congruit Athenaei ordo:

Athen. 629 d sqq.	Poll. IV 103
κερνοφόρος	*κερνοφόρον*
μογγάς	
θερμαυστρίς	
ἄνθεμα	
Χιτωνέας Ἀρτέμιδος ὄρχησις	*Ἰωνικόν,* quod Dianae dicit
Ἰωνική	
ἀγγελική	*ἀγγελικόν*
κόσμου ἐκπύρωσις	
ἴγδις, μακτρισμός	
ἀπόκινος, σοβάς	
μορφασμός	*μορφασμός*
γλαῦξ	*σκώψ*
λέων	*λέων*

Nonnulla tamen Pollux removit, velut *θερμαυστρίδα,* quae iam antea (102) legitur, vel *ἴγδιν, μακτρισμόν, ἀπόκινον* (101), de quibus supra (2) verba feci. In fine denique sicut apud Athenaeum *σχήματα* enumerantur.

Ex eis, quae de Pollucis ratione exposui, apparet, cur Bappio assentiri nequeam, qui arbitratur „Tryphonem bis haec nomina aulematis et saltationibus communia recensuisse, et in capite, quo *περὶ αὐλήσεων*, et in eo, quo *περὶ ὀρχήσεων* egit, catalogum illum descriptum esse ab Athenaeo, hunc pleniorem et paulo aliter dispositum a Polluce“ (117). Cur enim ordinem, quem ipse optime instituerat, hunc in modum Trypho conturbaverit, nulla causa inveniri potest. Tamen mihi quoque, quae Athenaeus 629 c sqq. de saltationibus refert, e Tryphone fluxisse videntur. Mireris enim, cur ibi e laterculo Tryphonis Athen. 618 c ne una quidem vox repetita sit. Haec ne cum Bappio (l. s.) Athenaeo tribuam, prohibeor eius neglegentia satis superque cognita. Neque si diversus a Tryphone fuit

auctor Athenaei, cur omnes illius copias praetermiserit, intellegitur, praesertim cum vel saltationes ad tibiarum cantum factas attulerit: *Παρὰ δὲ Συρακοσίοις καὶ Χιτωνέας Ἀρτέμιδος ὄρχησίς τίς ἐστιν ἴδιος*[1] *καὶ αὔλησις* (629e); *μετ' αὐλῶν δ' ὠρχοῦντο τὴν τοῦ κελευστοῦ καὶ τὴν καλουμένην πινακίδα* (629f). Longe aliter Pollux intermiscuit nomina, qui e. g. *γίγγραν* tam in tibiis quam in saltationibus attulit (IV 76. 102). Una igitur ratione unoque consilio duo loci Athen. 618c et 629c sqq. conscripti sunt; qua de causa ab eodem auctore exaratos eos puto, Tryphone, cuius nomen prior locus servavit. Convenit etiam scribendi genus: Poll. IV 105 de *τετρακώμωι* ex veriloquio ductam profert explicationem egregiam, dubitanter tamen. Eadem modestia utitur Trypho ubicumque solo nomine nisus sententiam profitetur (frg. 113 Velsen = Athen. XIV 618c; frg. 118 = Athen. III 114f); cf. etiam Poll. IV 103 de pinacide. Nonnullis aliis locis praeterea in Athenaeo eiusdem capitis de saltatione vestigia offendimus.

Pollux figuras dividit in *σχήματα τραγικῆς* et *χωρικῆς ὀρχήσεως* (IV 105). Quae cum male opponantur, ei pro *χωρικῆς* (*Π* A) cum B C *χορικῆς* reddendum est; tragica, scilicet scaenica saltatio opponitur choricae, lyricae. Eodem modo apud Hesychium s. v. *ἐκλάκτισμα· σχῆμα χορικόν* pro tradito *χωρικόν* iam a Musuro correctum est[2]. Hanc divisionem igitur Tryphonis esse videmus. Convenit, quod Athen. III 114f ex Tryphone inter pultium nomina affert *κρίνον·* ⟨*ἐστὶ δ' οὕτω* add. Kaib.⟩ *καλούμενον καὶ σχῆμα χορικῆς ὀρχήσεως παρ' Ἀπολλοφάνει ἐν Δαλίδι.* Hoc *σχῆμα* Tryphonem novisse confirmatur Hesychi glossa *κρί⟨ν⟩ον* (inter *κρινομένους* et *κρίνοντες*) *τὸ ξηρόν, ... καὶ σχῆμα χορικῆς ὀρχήσεως.* Et Kaibelius quidem ad Athenaei locum annotavit „Apollophanis testi-

---

[1] *ἴδιος* Kaibel corruptum putat, sed cf. Proll. Theocr. 4, 10 Ahrens: *ἀγροῖκοί τινες εἰσελθόντες εἰς τὸ ἱερὸν ἰ δ ί α ι ς ᾠδαῖς τὴν Ἄρτεμιν ὕμνησαν.* De voce *ἰδίου* terminationum duarum adiectivo cf. Radermacher *Rh. Mus.* LI 1901, 314.

[2] Vix tamen huc pertinet Hesychi glossa *ἐπιβήματα· εἴδη χορικῆς ὀρχήσεως*, quae mihi collato Pollucis IV 104 *οἱ δὲ γύπωνες ξυλίνων κώλων ἐπιβαίνοντες ὠρχοῦντο* potius ad grallarum usum per totam saltationem admissum quam ad figuram pertinere videtur.

monium interiectum esse sicuti XI 467 f." Ibi enim de *δίνοι*: *ἐστὶ δὲ καὶ γένος ὀρχήσεως, ὡς Ἀπολλοφάνης ἐν Δαλίδι παρίστησιν.* Utroque loco de saltationibus agitur, Athenaeus Apollophanis Dalida praeterea non novit. Qua de causa eum haec e Tryphone addidisse verisimile est. Eodem modo Pollux X 103, ubi de *ἴγδει* instrumento loquitur, verbis: *καὶ Ἀντιφάνης Κοροπλάθῳ· γύναι, πρὸς αὐλὸν ἦλθες, ὀρχήσει πάλιν τὴν ἴγδιν. ἐστὶ μὲν οὖν ἴγδις καὶ ὀρχήσεως σχῆμα* ad priora relegat.

Tertium praeter Pollucem et Athenaeum Tryphone usum esse Diogenianum constat. Quem in verborum formis interdum Polluci propiorem esse iam supra (5) dixi. Alio loco e duabus formis alteram selegit Pollux, alteram Athenaeus, utramque Diogenianus. *διποδισμόν* Athen. 630 a, *διποδίαν* Poll. IV 101 afferunt, Hesychius: *διποδία ὀρχήσεως εἶδος, οἱ δὲ διαποδισμός* (sic!); cf. s. v. *διαποδισμός*. Apparet igitur interdum Tryphonem complures formas dedisse, e quibus unam vel alteram posteriores prout libebat, arripuerunt[1]. Similiter in singulis glossis eligendis alii alia praetermittebant; soli Athenaeus et Diogenianus servarunt nomina haec: *νιβατισμός* (Ath. 629 d), *κόσμου ἐκπύρωσις* (629 f), *βουκολισμός* (618 c); Pollux et Athenaeus: *Ἰωνικόν* (Athen. 629 e; Poll. IV 103), *ἑκατερίδες* (Ath. 630 a; Poll. IV 102), *κολαβρισμός* (Ath. 629 d; Poll. IV 100); Pollux et Diogenianus: *βαυκισμός* (Poll. IV 100), *γέρανος* (Poll. IV 101) *διπλῆ* (Poll. IV 105), *τυρβασία* (Poll. IV 105), *κλωπεία* (Poll. IV 105; cf. Rohde l. s. 41). Mirum in modum variatur forma nonnullarum saltationum apud Pollucem et Hesychium. E quibus *σχίσμα* (*σχῆμα* cod.: Soping.)· *ποδὸς τὰ σχίσματα καὶ ὀρχηστικὸν σχῆμα*, procul dubio segregandum est a Pollucis (IV 105) figura: *ἦν δὲ καὶ σχιστὰς ἕλκειν σχῆμα ὀρχήσεως χορικῆς* (*χωρικῆς* AΠ; cf. supra 7) nisi decurtata est lexici glossa. Difficilius iudicium est de *βαρυλλικοῖς*, cum glossae huc pertinentes plurimis mendis deformentur, quae ne

[1] Longe maxima vocum copia tamen easdem formas exhibet. Qua de causa *καλλαβίδας* Athenaei (629 f.) in Hesychi glossa *καλλίβαντες . . . ἢ γένος ὀρχήσεως ἀσχημόνως τῶν ἰσχίων κρατουμένων* latere rectius putabimus cum Mauritio Schmidt (cf. Phot. s. v. *καλλαβίδες*), quam in glossa *καλαβίς*. Hanc enim seiungendam esse non numerus singularis tantum, sed etiam unum *λ* docet. Cf. infra 26.

novissimo quidem auctori ab omni parte expellere contigit (Nilsson *Griech. Fest.* 186): *βαρυλλικά* habet Pollux (IV 104), quod *εὕρημα Βαρυλλίχου* vocat. Hesychii vero glossas *βρυδαλίχα, βρυδακίζειν* in *βρυλλίχα* et *βρυλλιχίζειν* corrigendas esse iam M. Schmidt ex litterarum ordine cognovit. *βυλλίχαι, βυλλίχης, βυλλιχίδες* apud eundem leguntur. Quae omnia docent nomen per *χ* scribendum esse; Polluci igitur *βαρυλλίχα* vel *βαρύλλιχα* reddendum est, quod etiam suadet „inventoris" nomen *Βαρυλλίχου*, quod unus cod. C per *κ* scribit. Tunc *βαρυλλίχα* et *βρυλλίχα* sic potissimum consociantur, ut *α* vocalem anaptyxi ortam putes [1]; *βυλλίχαι* e. q. s. explicare nescio [2]. Sed haec omnia ex eodem fonte fluxisse nemo putabit. Qua de causa recte L. Weber (quaest. Lacon, diss. Gott. 1887, 56, 12) Sosibio adscripsit Hesychi glossas. Tota igitur paragraphus 104 apud Pollucem nullis testimoniis ceterorum Tryphoni adsignatur. Cum vero in reliquis viderimus illum vel quae interposuit, omnia eidem debere, ab hac quoque parte non alium eum sequi probabile est.

Eundem auctorem in scholiis interdum invenimus. Cuius rei testimonium luculentum habemus in Aristophanis scholiis: schol. Ven. Ar. Eq. 20 *ἀπόκινον· φυγήν, ἀποχώρησιν· ἐστὶ δὲ καὶ εἶδος ὀρχήσεως φορτικῆς, οἱ δὲ μέλος· καὶ ὁ βαυκισμός*; cf. Hes. = Suid. *ἀπόκινος· εἶδος ὀρχήσεως*, plenius Bekkeri *συναγωγή* Anecd. I 429, 29 *ἀπόκινος· γένος ὀρχήσεως φορτικῆς· οἱ δὲ μέλος ἢ ὁ τῶν κιναιδογράφων ἴαμβος.*

Haec omnia ex eodem auctore derivata esse apparet, videlicet e Tryphone, qui *ἀπόκινον* commemoravit inter *ἀσελγῆ εἴδη ὀρχημάτων* (Poll. IV 101; Athen. 629 c. f). Sed quid sibi velit *ὁ βαυκισμός*, de quo apud Aristophanem ne *γρῦ* quidem, vix intellegitur. Qua de causa Rohde (l. s. 31, 1) collatis Athenaei verbis 629 c *ἀπόκινον . . . ὕστερον μακτρισμὸν ὠνόμασαν* scholiastae reddi iussit *καὶ ὁ μακτρισμός*. Quae coniectura ut violentior est, ita ne dicendi quidem consuetudini sufficit; exspectaveris enim *ὁ καὶ μακτρισμός*. Res facile ex-

---

[1] Cf. G. Meyer *Gr. Gramm.*[3] 157. Vulgo tamen vocalis anaptyctica, nisi legitimo syllabae vocali assimilatur, *ε* est. Sed exempla nostra parciora sunt, quam ut *α* nusquam in anaptyxi occurrisse contendamus.

[2] De *βρυαλίκταις* cf. infra 31, 3.

peditur, si aliquantum plus quam debuit exscripsisse scholiastam ponimus[1]. Onomastici enim glossas de saltationibus si ad ordinem litterarum digesseris, sese excipiunt *ἀπόκινος* et *βαυκισμός*. In Pamphili *Ὀνόμασιν* vero sic disposita fuisse singula capita M. Schmidt (quaest. Hesych. 172) e fragmentis ab Athenaeo servatis probavit. Pamphilum Diogeniani fontem fuisse constat. Eundem igitur Aristophanis scholiasta adhibuit. Sed hoc incertum, quoniam, qui locus baucismo apud Tryphonem fuerit, ignoramus. Apud Pollucem (IV 100 sq.) sequuntur *βαυκισμός, μακτρισμός, ἀπόκινος*, sed eius ordinem turbatum esse supra vidimus. Quare si quis contendat, non Pamphilum, sed Tryphonem ipsum exscripsisse Aristophanis scholiastam, non obloquor.

Deinde ea, quae de mothone in Aristophanis scholiis leguntur (schol. Ar. Eq. 697; schol. Ven. Ar. Plut. 279), adeo congruunt cum Pollucis (IV 101) Hesychiique testimoniis, ut haec quoque Tryphonis esse appareat.

Iam num quis praeterea Tryphonem adhibuerit, quaeramus. Pausaniae de *ξιφισμῶι* locus (frg. 264 Schwabe) ad verbum fere conspirat cum Hesychio s. v. *ξιφισμός*. Sed eo offendor, quod ibi *ξιφισμός σχῆμα τῆς ἐμμελείας καλουμένης ὀρχήσεως* audit, non ut apud Tryphonem *τῆς τραγικῆς*. Res eadem est, sed verba diversa fontem quoque diversum indicant[2]. Quae frg. 164 Schwabii de tripartita saltatione scenica referuntur, apud Hesychium s. v. *ἐμμέλεια* et *σίκιννις* leguntur. Sed Tryphonem hanc divisionem neglexisse verisimile est (infra 13). Porro cur ei Hesychi glossam *ἀρράβακα* adscribamus, quae etiam apud Pausaniam exstat (frg. 74

---

[1] Similiter schol. Ven. Ar. Vesp. 855, postquam *ἀρυστίχους* explicavit, *ἔλεγον δὲ καὶ ἔφηβον* inquit, *τὸ τοιοῦτον σκεῦος*; quod ex onomastico fluxisse coll. Athen. X 424 c apparet. Schol. Ven. Ar. Ach 980 = Suid. s. v. *οὐδέποτ' ἐγώ* et s. v. *πάροινος* de scolio in Harmodium et Aristogitona agitur; addit *ἦν δὲ καὶ ἕτερα μέλη τὸ μὲν Ἀδμήτου λεγόμενον, τὸ δὲ Τελαμῶνος* (*Λάμπωνος* cod. et Suid. s. v. *πάροινος*), quae nihil ad rem. Sed in sylloga scoliorum, quam etiam Athenaeus exscripsit, Harmodii cantilenam excipiunt carmina de Admeto et Telamone (Athen. XV 695 b sq.).

[2] Cf. Hes. s. v. *ἀποξιφίζειν*. Quae vero s. v. *ξιφίζειν* traduntur, ea eiusdem Pausaniae esse demonstratur Eustathii 1604, 51 et Photii (s. v. *ξιφισμός*) consensu (Wentzel *Herm.* XXX 1895, 367 sqq.).

Schwabe; cf. Bekk. Anecd. I 446, 26), nulla causa est. Similiter quae s. v. *βητάρμονες* apud Hesychium leguntur, in lexicis rhetoricis (Bekk. Anecd. I 226, 11; Eustath. 1594, 44) recurrunt. Sed haec desunt tam apud Pollucem quam apud Athenaeum, quod equidem non casui tribuerim. Sequitur, Atticistis et Hesychio quae communia sint, non e Tryphone derivari posse. Quoniam Didymum Atticistae quoque excerpserunt (Schwabe, Dionysi et Pausaniae frgm. 58 sqq.), haec ex illius copiis derivata videntur.

Accedunt nonnulla alia, quae e Didymi lexicis fluxisse vel certum est vel satis verisimile. Hesychi verba s. v. *κρεμβαλιάζειν* e Didymo afferunt Athen. XV 636 d et schol. Ven. Ar. Ran. 1305. Idem auctor videtur esse earum glossarum, quas e scriptorum veterum scholiis excerptas esse lemmatum forma prodit velut *ὑπόσκοπον χέρα, κόλικος νόμον, κουφικὸν τρόπον, κύκλιοι χοροί* (schol. Ar. Nubb. 333), *λυδίζων* (cf. Phot. s. v.; ex schol. Ar. Equit. 523).

Praeterea habemus apud Hesychium nonnullas Laconicas saltationes, quas Sosibio Laconi deberi demonstravit L. Weber (quaest. Lacon. 42 sqq.); sunt vero *δύσμαιναι* (57, 19 W.), *ποδίκρα* (61, 56 W.), *σαρσίτε(ι)ος χορός* (omisit Weber), *ὑαλκάδαι* (63, 73 W.), *φουλ(λ)ίδερ* (46), *ψίλακερ* (64, 76). Errore huc rettulit (63, 71) *τυρβασίαν*, quam Tryphoni deberi collata Pollucis quarti libri paragrapho 104 apparet.

Pauci adhuc restant loci, quorum certum auctorem indicari posse despero.

Scholiasta Townley. Hom. *X* 391 haec enotavit: *ἡ δ' ἁπαλὴ ὄρχησις μόθων καὶ βαυκισμὸς καὶ σχεδιασμός*[1] (*σχεδισμός*: corr. Heyne) *ἅπαντα τοῖς μαλακοῖς δίδοται.* Quae ut Tryphonis putemus, suadet coniunctio vocum *μόθων* et *βαυκισμός* apud Pollucem (IV 100 sq.). Neque obstat, quod *μόθων* apud illum *φορτική*, in scholio vero *ἁπαλή* saltatio audit; utrumque enim lascivam significat (cf. e. g. Phot. s. v. *καλλαβίδες*). At tamen hoc nimis incertum esse in propatulo est.

Deinde nonnulla de Luciani personati[2] dialogo de salta-

[1] Heynii coniectura confirmatur glossa C. Gl. L. II 449, 55 *σχεδιάζω ἀντὶ τοῦ χειρονομῶ.*

[2] De auctore videas Helm *Lukian und Menipp* 365 sqq.

tione monenda sunt. Quem ut saltatores defenderet, enchiridion, quo artis fundamenta docebantur[1], usurpasse post Nordeni commentationem (*Herm.* XXXX 1905, 514 sq.) docuit Jüthner (*Philostratus über Gymnastik* 98 sqq.). Quo in commentario isagogico invenisse eum tabulam nominum eius instar, quam modo tractavimus, verba docent capitis 34: *οὐδὲ τοῦτον τὸν σκοπὸν ὑπεστησάμην τῶι λόγωι, ὀρχήσεων ὀνόματα καταριθμήσασθαι πλὴν ὅσων ἐν ἀρχῆι ὀλίγων ἐπεμνήσθην . . . αἱ μὲν γὰρ πρῶται ἐκεῖναι ὥσπερ τινὲς ῥίζαι καὶ θεμέλια τῆς ὀρχήσεως ἦσαν, τὸ δ' ἄνθος . . . νῦν ὁ ἡμέτερος λόγος διεξέρχεται* (sc. pantomimum) *παρεὶς τὸ θερμαυστρίζειν καὶ γέρανον ὀρχεῖσθαι καὶ τὰ ἄλλα ὡς μηδὲν ταύτηι προσήκοντα· οὐδὲ γὰρ τὸ Φρύγιον τῆς ὀρχήσεως εἶδος τὸ παροίνιον καὶ συμποτικὸν . . . ὑπ' ἀγνοίας παρέλιπον κτέ.* Eundem ordinem fuisse huius libri vides, quippe qui priore loco dignas vividioresque saltationes enumeraverit, deinde quae in vinis fieri solebant. Attamen ad Tryphonem haec referre quamvis uno alterove auctore intercedente non audeo.

Neque omnino illud nobis agendum est, ut certa auctorum nomina indicemus, sed ut quaecumque apud posteriores traduntur, ab Augustei aevi scriptoribus congesta esse intellegamus. Ex illis Polluces et Athenaei hauriebant, modo hoc modo illud decerpentes, nihil novi addentes.

Iam de Tryphonis fontibus quaestio instituenda est. Cui tam comoediam quam tragoediam copias praebuisse docet Athen. 629 f sq. Quae quatenus ipse collegerit, quatenus a prioribus velut a Iuba rege, quem eum adhibuisse vidit Rohde (l. s. 40 sqq.), acceperit, plenius cognoscere non valemus. Divisionem figurarum in tragicas choricasque eum non primum invenisse Euphronius testatur, Aristophanis magister, qui *οὕτως* (*Φρυνίχειον*) inquit *φασὶ ὀνομάζεσθαι σχῆμά τι τῆς τραγικῆς ὀρχήσεως* (schol. Rav. Ar. Vesp. 1524[2]). Sed Aristoxenum, cuius paulo accuratius novimus sententiam, non adhibuit, si

---

[1] E. g. Pylades saltator ipse de arte sua scripserat, Athen. I 20 d.

[2] Rutherford annotat: *Either Euphronius imagined, that the dance was named from Phrynichos the tragedian instead of from Phrynichus the dancer, or the τραγικῆς should be bracketted* (II 439). Neutrum verum videtur.

quid video. Affert quidem emmeliam, cordacem, sicinnidem (Athen. 629 d; Poll. IV 99; Hes. s. v.), quas ille scaenicae saltationis partes dixit (Bekk. An. I 101, 16), neque tamen quemadmodum Tarentinus prae ceteris primum eis concessit locum. Quas vero apud illum videmus lyricae saltationis partes (infra 14), omnino neglexit. Neque magis quae de regionum saltationibus docuit (Athen. I 22 b), commemoravit. Aristoxenus pyrricham Lacedaemoniorum inventum esse dixit (Athen. 630 e), apud Tryphonem (Poll. IV 99) eius auctorem fuisse Cretensem legimus. Qua de causa Aristoxenum eius fontem fuisse nego. Aliter de Dicaearcho iudicandum. Quae enim de grue apud Pollucem (IV 101; cf. Hes. s. v.) traduntur, similiter Dicaearcho auctore (FHG II 250 M) apud Plutarchum (Thes. 21, 2) legi monuit Rohde (l. s. 66).

Haec omnia fere sunt, quae de saltationum laterculis disputari possunt. Quare iam ceteros locos, ubi paululum pleniores copiae exstant, accedamus.

Imperatorum aetate, quo pantomimum Alexandrinus redintegravit Bathyllus, denuo saltationis studia vigebant. Seleucus, quem in Tiberii cenis disputasse narrat Suetonius (Tib. 56), de saltationibus ζήτημα proposuisse perhibetur (schol. Ar. Thesm. 1175 = frg. 72 M. Müller, De Seleuco Homerico, diss. Gott. 1891). Eundem de Bathyllo auctorem affert Athenaeus in primo 20 d (frg. 81 M. Müller). Unde totum caput 37 primi libri e Seleuco pendere sumpsit Bapp (l. s. 97), quod recte refutavit Maximilianus Müller (l. s. 26). Contra debentur ei, quae de Homerica saltatione ab Athenaeo in quinto 180 c sqq. (cap. 9—11) Herodici Babylonii disputationibus inserta sunt (frg. 20 Müller; cf. eundem l. s. 6). Quae de eodem Homero leguntur Athen. I 14 d sqq., Dioscuridis personati (frg. 39 R. Weber *Lpz. Stud.* XI 117) esse constat.

Sed haec omnia admodum parca sunt. Praeter Tryphonem uni tantum auctori paulo ampliora debemus Aristocli musico, qui περὶ χορῶν scripsit [1]. Cuius esse in quarti decimi libri

[1] Quo tempore vixerit, incertum est. Tamen cum Wentzelio (P. W. s. v. II col. 936) musicum Apollodori Atheniensis aequalem a grammatico Rhodio seiungendum duco. Est igitur Aristocles alterius a. Chr. saeculi auctor.

capite 25, 628c usque ad 629c et cap. 28—30 inde a 630b Bapp demonstravit (l. s. 100sqq.). Idem in primo libro capita 39 et 40 excepto enuntiato de Aeschyli ebrietate 22a ei ascribenda esse dixit (l. s. 102). Aristoclem imprimis ex Aristoxeno Tarentino pendere primus Rohde (l. s. 37) demonstravit. Ille tres partes tam scenicae quam lyricae saltationis esse voluit: *τρεῖς δ' εἰσὶ τῆς σκηνικῆς ποιήσεως ὀρχήσεις, τραγικὴ κωμικὴ σατυρική. ὁμοίως δὲ καὶ τῆς λυρικῆς ποιήσεως τρεῖς, πυρρίχη γυμνοπαιδικὴ ὑπορχηματική* (Ath. 630c sq.); satyricam esse sicinnin initio capitis edocemur (630b), reliquorum vocabula, emmeliam et cordacem, una cum Aristoxeni nomine nobis servarunt lexica rhetorica[1]. Praeterea commemorantur Athen. 631d. Haec divisio iam nimia concinnitate satis suspecta est. Et cordacem quidem non omnem comoediae saltationem vocari Aristophanis verbis (Nubb. 540) constat, de sicinnide et emmelia parcioribus testimoniis nitimur. Hyporchema ut tertiam partem lyricae saltationis esse contenderet, sic definivit: *ἡ δ' ὑπορχηματική ἐστιν, ἐν ἧι ᾄδων ὁ χορὸς ὀρχεῖται* (Ath. 631c). Consentit Proclus (chrest. 246, 7 West.): *ὑπόρχημα δὲ τὸ μετ' ὀρχήσεως ᾀδόμενον μέλος ἐλέγετο.* Quod *ἀνδρὸς* Graecorum *μουσικωτάτου* auctoritate firmatum nunc communi opinione probatur (Christ-Schmid *Griech. Litt.* I[5] 137, 2;[2] Schömann-Lipsius *Griech. Altertümer* II[4] 267, 3; Gleditsch *Metrik d. Griechen u. Röm.* 207). Sed bona pars grammaticorum longe aliud esse *ὑπόρχημα* contendit.

Dioscurides personatus apud Athen. I 15d haec: *οἶδε δὲ ὁ ποιητὴς καὶ τὴν πρὸς ᾠδὴν ὄρχησιν. Δημοδόκου γοῦν ᾄδοντος* (*ϑ* 262) *κοῦροι πρωϑῆβαι ὠρχοῦντο καὶ ἐν τῆι Ὁπλοποιίαι δὲ παιδὸς κιϑαρίζοντος ἄλλοι ἐναντίοι* (*ἐναντίοισι* C *ἐνμανίαι* E: Kaib.) *μολπῆι τε ὀρχηϑμῶι τε ἔσκαιρον* (*Σ* 572). *ὑποσημαίνεται δὲ ἐν τούτοις ὁ ὑ π ο ρ χ η μ α τ ι κ ὸ ς τρόπος, ὃς ἤνϑησεν ἐπὶ Ξενοδήμου καὶ Πινδάρου.* Est igitur hyporchema saltatio chori a l i i s accinentibus. Hanc sententiam secuti sunt Hoeck (*Kreta* III 346), Schweighäuser (animadvers. in Athen. VII 423), Boeckh (metr. Pind. I 270sq.). Et fuisse eam veram adhuc

[1] Ael. Dionys. frg. 164 Schwabe = Eust. 1167, 19; Phot. s. v. *σίκιννις*; Et. M. 712, 54; Bekk. Anecd. I 101, 16; cf. schol. Ar. Nubb. 540; [Luc.] salt. 22.

[2] Rectius idem 154.

demonstrari potest. Deli saltasse hyporchema virgines Deliades accinente choro non tantum Lucianus personatus narrat (de salt. 16)[1], sed etiam Callimachus, auctor gravissimus (hymn. in Del. 304 sqq.): *οἱ μὲν ὑπαείδουσι νόμον Λυκίοιο γέροντος . . . αἱ δὲ ποδὶ πλήσσουσι χοριτίδες ἀσφαλὲς οὖδας* (cf. infra 69). Electra apud Euripidem saltatura chorum iubet cantare (864 sq.) *ἀλλ' ἐπάειδε καλλίνικον ᾠδὰν ἐμῶι χορῶι.* Res vero acta est, si hoc sensu homines Pindari aequales vocem *τοῦ ὑπορχεῖσθαι* adhibuisse demonstramus. Apud Aeschylum in Choephoris 1023 Orestes iamiam vesaniae vertigine correptus haec: *πρὸς δὲ καρδίαι φόβος ᾄδειν ἕτοιμος, ἣ δ' ὑπορχεῖσθαι κότωι.* Nos vero quin vocem eo sensu accipere debeamus, quo Aeschylus accepit, dubitari non potest (cf. etiam Alcm. frg. 78 Bgk.[4]). Altera pars lyricae saltationis Aristoxeno est pyrricha. Hanc quomodo distinxerit a hyporchemate, nescio, nam *μέλη* in pyrricha quoque novit (Athen. 631 b). Sed Aristoxenum sic hyporchema definivisse Procli verbis supra (14) allatis omni dubitatione eximitur, licet in Athenaeo epitomatoris culpa hiare orationem iam Kaibelius annotaverit. Accedit, quod paulo infra meras saltationes ab eis, quae cum cantu fiunt, distinguit, id quod rursus ad eandem sententiam nos ducere videtur. Haec igitur quocumque modo se habent, Aristoxeni divisionem falsam esse testatur Sosibius, qui pyrricham inter *ὑπορχήματα* numeravit (schol. Pind. Pyth. II 127; cf. Athen. V 181 c). De gymnopaedica nihil fere scimus. Sed iam apparet, ut opinor, longe alia Aristoxeno cordi fuisse ac veterum saltationum diligentem definitionem[2]. Qua ratione ille saltationes digesserit, cum et gestus et modi temporum iniuria perierint, non iam licet videre. Sed eius testimonia non nisi cautissime in saltationum historia adhibenda esse apparet.

---

[1] Qui tamen chorum quoque saltasse refert, unde Boeckh (l. s.) illum solito more tripudiantem fecit, selectos vero mimicam saltationem peragentes. Sed obstant cetera testimonia, quorum maior fides; cf. infra 67.

[2] Quod ipse disertis verbis concedit Ath. 631 b *ἔοικεν δὲ ἡ γυμνοπαιδικὴ τῆι καλουμένηι ἀναπάληι παρὰ τοῖς παλαιοῖς.* Iam vides ipsum quoque suum usum in his verbis ab usu veterum distinxisse. Qua de causa dubito, num recte Jüthner (*Wiener Studien* XXXIV 1912, 43 sqq.) hoc loco usus sit in gymnopaediorum Laconicorum motibus describendis.

Haec fere sunt, quae de auctorum περὶ χορῶν reliquiis et eorum auctoritate praefari in animo erat. Dolemus nos plerumque testes imperatorum aetate antiquiores assequi non posse, quamquam peripateticis auctoribus vel in his optima quaeque deberi verisimile est. Videmus Dicaearchum in Vita Graeciae (Athen. XIV 636 c), Theophrastum in libro π. μέθης (Athen. X 424 e sq.), ipsum denique Aristotelem (frg. 519 R.; schol. Pind. Pyth. II 127 p. 53, 7 Drachm.) de saltationibus disserentes. Peripateticos auctores de saltationibus novisse videtur Plutarchus (non posse suav. 13 p. 1096 a). Sed nobis, ubicumque titulorum veterumque auctorum testimoniis destituimur, in Didymo vel Tryphone acquiescendum.

Caput II

De figuris saltationis

Antiquitatis studium quatenus in saltationum cognitione positum fuerit, vidimus. Iam ipsi ecquid lucis huic materiae afferre possimus conaturi initium capiamus a figuris quasi elementis saltationis. Quae qua ratione ab ipsis saltationibus differant, supra exposui. Laterculum figurarum, quem Trypho nobis tradidit, unus interpretari conatus est Scaliger maior in Poetices libris VII p. 26 [1], quem honoris causa affero. Qui postea a monumentis profecti singula tractaverunt viri docti, interdum, qua figurae a saltationibus distent, immemores errarunt. Sic ex quo tempore Stephani (*Compte R. de la commission archéol. de Petersburg* 1865, 27 sq.) saltatricum quoddam genus, quod in monumentis comparet, primus collegit et propter calathum, quem nonnullae in capite portant, *καλαθίσκον* saltare eas dixit, haec opinio paulatim pro vera optinuit [2]. Sed cum *καλαθίσκος figura* saltationis sit, non ipsa saltatio (Athen. XIV 629 f; Poll. IV 105; cf. Hes. s. v.), fieri non potest, ut a cultu per totam saltationem non mutato nomen acceperit. Immo debuit esse motus semel vel saepius occurrens. Quare nescio, an rectam indicemus explicationem collatis monumentis, in quibus puella utramque manum supra caput attollit, ut quasi canistrum sustinere videatur (velut Clarac *Mus. Sculpt.* tab. 168; plura congessit Stephani l. s. 64, 2). Est igitur *καλαθίσκος* figura *χειρῶν κίνησιν ἀσκοῦσα,* qualem fuisse *ἑκατερίδα* tradit Pollux (IV 102); haec tamen qualis

[1] Utor editione Lugdunensi anni 1561.

[2] Nunc tamen rectius Caryatides putantur. Wolters *Zeitschr. f. bild. Kunst* VI 1895, 36 sqq.; Furtwängler *Meisterwerke* 202.

fuerit, ignoramus. Alia erat *ξιφισμός* (Ath. 629 f; Poll. IV 99; cf. Et. M. 611, 10 ~ Cramer A. O. II 242, 8), quam tragicae saltationis propriam tradit Pausanias (Eustath. 1167, 23 = frg. 264 Schwabe; cf. Hes. s. v. *ἀποξιφίζειν*). Hanc quoque manus gesticulatione absolvi docet Hes. s. v. *ξιφίζειν· ἀνατείνειν τὴν χεῖρα καὶ ὀρχεῖσθαι*; cf. Suid. s. v. *ξιφίζειν· τὸ χειροτονεῖν*[1] *παραπλησίως ξίφει τὸ τῆς χειρὸς σχῆμα ποιοῦντα* (= Phot. s. v. *ξιφισμός* = Eustath. 1604, 51, ex Pausania; cf. supra 10, 2). Possis haerere, utrum militaris exercitationis gestus indicetur an, id quod Schnabel coniecit (*Kordax. München* 1910, 5), *„ein schwertartiges starres Emporstrecken der Hand"*, provocans ad gladii formam manus similem. Quae Schnabelii sententia confirmatur nonnullis glossis Hesychii: *κόλα* (*κῶλα* cod.: corr. Is. Voss.)· *ὀστᾶ, μέλη καὶ εἶδος ὀρχήσεως, ὃ καὶ ξιφισμός. κολέα· ποιά τις ὄρχησις. κολία· ὀρχήσεως εἶδος καὶ ἐπικήδεια κτἑ. κολιάσαι· ὀρχήσασθαι; κόλα* potius *κολᾶ* scribendum esse et cum *κολέα* coniungi deberi vidit M. Schmidt, *κολία* vero et *κολιάσαι* nota illa *τοῦ ε* ante vocales commutatione in Doricis meridionalis regionis dialectis e *κολέα* ortae sunt (Solmsen *K. Z.* XXXII 1899, 513 sqq.). Voces cum *κολεός* vagina coniungendae videntur. Sequitur hanc saltationem et eodem modo *ξιφισμόν* non ab usu gladii, sed a forma nomen accepisse, quae eadem est in gladio et in vagina. Alius generis est Hesychi glossa *αἴρειν μασχάλην· οὕτως εἰώθασιν λέγειν ἀντὶ τοῦ ὀρχήσασθαι*; cf. Bekk. Anecd. I 356, 31; Suid. s. v.; Paroemiogr. Gott. I 350 = II 54. Fuit bibentis gestus (Zenob. V 7, I 116 Gott.; Poll. VI 26 = Hes. s. v. *μασχάλην αἴρειν*; cf. Suid. s. v.), *σχῆμα*, non saltatio.

Quid sit *σκοπός*, iam dudum constat, ex quo celeberrimam tabulam satyri *ἀποσκοπεύοντος* huc rettulere[2], cf. Hes. s. v. *σκωπευμάτων* = Phot. s. v. *σκώπευμα*; Hes. s. v. *ὑπόσκοπον χέρα.*

---

[1] Vulgo corrigunt *χειρονομεῖν*, sed *χειροτονεῖν*, „manu porrigere" non tantum nostro loco (sicut apud Photium et Eustathium) legitur, sed etiam in scholio Byzantino Ar. Plut. 39 *τῆι μαντι(πόλωι ἐχειροτόνουν* om. R) *τὰ πυκτία.*

[2] Cf. Raoul-Rochette *Journ. des Sçavans* 1857, 514 sqq.; Furtwängler *Satyr v. Pergamon* 19.

Σκῶπα et *σκώπευμα* vero perperam cum illo confudisse Athenaeum (630 a) Meineke contendit. Tamen nescio, an non recte. Stirpis enim productio legitima est in monosyllabis (*κλώψ, σκώψ, παράβλωψ*), sed ut derivatis in *-εύω* et *-εύς* quoque concedatur, obesse videtur *κλοπεύς* numeris probatum (Soph. Phil. 77). Sed in *κλωπεύω, σκώπευμα ω* constanter traditur (Lob. Phryn. 613; cf. 591). Quod ni fallor vocum *σκωπός* et *κλωπός* analogiae debetur. Cur igitur errorem Athenaei vel Tryphonis sumamus, nulla causa est[1].

Duae sequuntur figurae, quae quin manus gestu peractae fuerint, dubitari nequit, *χεὶρ σιμή* et *χεὶρ καταπρανής* (Athen. 630 a; Poll. IV 105; Hes. s. v. *σιμὴ χείρ*). Inter se oppositas fuisse apparet. *Πρανής, καταπρανής* deorsum versus significat; vulgo *ὕπτιος* resupinus, opponitur (e. g. Athen. X 447 b; Plut. Symp. V 6 p. 680 a) *πρηνές· τὸ πρὸς τὴν γῆν νενευκός* Galen. lex. Hippocr. XIX 132 K. *Σιμός* vero ut de naribus, ita de collo quoque acclivi et leniter adsurgente dicitur. Altero igitur gestu manum terram versus extendi puto, altero resupinatam palmam spectatori ostendi. Quae explicatio monumentis confirmari potest. Egit R. Schreiber (*Abh. Säch. Ges. d. Wiss.* XXVII 1909, 761 sqq.) de nonnullis ectypis Alexandrini temporis, in quibus satyri iuvenes cernuntur tres, quorum duo admirantur tertium saltantem, qui parvis passibus incedit altera manu elevata, ita ut radice manus angulus obtusus formetur, altera depressa (l. s. tab. 1—3 = *Hellen. Reliefbilder* tab. 46—48). Manum *σιμὴν* et *καταπρανῆ* delineari apertum videtur, quamquam tragicae saltationis figurae fuisse dicuntur[2]; scilicet gestus eosdem in tragoedia et in satyris occurrere nemo mirabitur, quoniam initio quidem ut quae maxime coniuncta esse debebant haec genera, neque aliae dramaticae tra-

---

[1] Segreganda videtur figura a saltatione *σκωπός*, quae ab ave nomen accepit Poll. IV 103 = Hes. s. v.; Athen. IX 391 a sqq. = Ael. h. an. XV 28 p. 386, 3 sqq. H. (ex Alexandro Myndio); Plut. quaest. conviv. VII 5 p. 705 a; Plin. N. H. X 138. Similem esse *ὦτον* (Athen. IX 390 e) benigne me monet Roßbach.

[2] Idem gestus in Ionicis et Corinthiacis vasculis saepissime occurrit. Enoto e. g. hydriam „Caeretanam" Monacensem Hackl-Sieveking *Kgl. Vasensammlung zu München* 894.

gicis figuris opponuntur, sed choricae (supra 7). Imprimis *χεὶρ σιμή* in vasculis, quibus satyri depinguntur, sescenties occurrit. Exempli gratia affero satyrum in dino r. f. artis pulchrae Nicole *Vases d' Athènes* 1055 tab. 17 = *A. M.* XXXVI 1911, tab. 13; oxybaphon quarti saeculi *El. Cér.* III 90 = *Mon. ined. dell' inst.* IV tab. 34. *Χεὶρ καταπρανής* invenitur e. g. in puella Alexandrinae aetatis apud Winckelmannum *Mon. ined.* tab. 48. Notandum est tam *χεῖρα σιμὴν* quam *καταπρανῆ* semper fere altera tantum manu peragi, cum altera aliter moveatur.

Huc *ἐπαγκωνισμός* (Athen. 630 a) quoque facere videtur, cuius tamen certam formam definire nequimus; vix enim quisquam probabit Scaligeri commentum (l. s. 26) „quasi dicas incubitatio, cogitabundi". Ne illud quidem prorsus certum videtur, num omnino ei quidquam cum ulnis sit, quia voce *ἀγκωνισμοῦ*, quaecumque in cubiti modum curvantur, designaverunt posterioris aevi scriptores.

Extrema sequatur glossa Hesychi mendo deformata *ἐνεργείς· ἡ εἰς γλουτοὺς κατάθεσις τῶν χειρῶν* (inter *ἐνεργεῖ* et *ἐνεργεῖται*). Primus Meinecke vocis *ἐνεργεῖν* obscaenum sensum in hac glossa agnovit; ideo temptavit *ἐνέργεια* vel *ἐνεργεῖν*. Propius ad tradita se applicuit Musurus *ἐνεργίς* scribendo, sed huius formae vox a verbo in *-έω* derivari non potest. Scribas igitur vel *ἐνέργεια* vel *ἐνέργεισ⟨ις⟩* i. e. *ἐνέργησις* quod et proxime ad tradita accedit et grammaticae sufficit: *ἐνέργησις: ἐνεργεῖν = φρόνησις: φρονεῖν, ποίησις: ποιεῖν.* Unum illud mihi scrupulum inicit, quod traditus litterarum ordo mea coniectura turbatur. Motu vero ipso vix ullus est notior in vasculis Corinthiacis velut in celeberrimo *κρατῆρι Ann. d. Inst.* 1885 tab. D E[1].

In pedum deinde figuris primum sibi locum poscit *διποδισμός* (Athen. 630 a; Hes. s. v.),[2] permagni illi Lacedaemoniorum saltus, quibus utitur iuvenis in fine Lysistratae (1243

[1] Laterculum saltatorum Corinthiacorum nuper proposuit Ch. Fränkel *Rh. Mus.* LXVII 1912, 95, 2.

[2] Vel *διποδία* quod in parte glossae Hesychianae *Διπόλια . . . καὶ εἶδος Λακωνικῆς ὀρχήσεως* latere vidit M. Schmidt. Cf. Poll. IV 101; Suid. s. v.; cf. Hes. s. v. *διαποδισμός* (sic!)· *εἶδος ὀρχήσεως ἢ ἅλμου.*

cum schol. = Suid. s. v. *διποδία*). Ingenuam fuisse testatur Eustathius (772, 6) nescio quo auctore usus. Mulierum exercitium est apud comicum, ubi Lacaena: *ποτὶ πυγὰν ἅλλομαι* (Ar. Lys. 82). Saltatio ipsa *βίβασις* vocabatur (Poll. IV 102). Motus sic explicatur apud Antyllum alterius p. Chr. saeculi medicum (ap. Oribas. VI 31, I 526 sq. Bussem. et Daremb.): *Διαφέρει τὸ ἀφάλλεσθαι τοῦ ἐξάλλεσθαι· ἡ μὲν γὰρ ἄφαλσις δρόμωι προσέοικεν, ἐν τῶι αὐτῶι τόπωι μένοντος τοῦ σώματος μετὰ τοῦ κάμπτειν τὰς ἰγνύας· ὁ δὲ ἐξαλμὸς κομιδῇ σκελῶν ἐστι συνεχής. παράκειται δὲ τούτοις τὸ πρὸς πυγὴν ἅλλεσθαι, ὧι καὶ αἱ Λάκαιναι γυναῖκες τὸ πρόσθεν ἐχρῶντο· τοῦτο δέ ἐστιν ἄφαλσις καμπτομένων* (*καμπτωμάτων* A) *τῶν σκελῶν ὥστε τὰς πτέρνας τῶν πυγῶν προσάπτεσθαι, ποτὲ μὲν ἐναλλὰξ τῶν σκελῶν ἀναλακτιζόντων, ποτὲ δὲ ἀμφοτέρων ἅμα.* Simile fuit *ἐκλάκτισμα*, in mulierum choris adhibitum (Poll. IV 102; Hes. s. v. *ἐκλακτισμός*). Idem apud Aristophanem occurrit (Vesp. 1492, cf. Schnabel *Kordax* 9). Accedit ludus *τοῦ ῥαθαπυγίζειν*, quod explicat Hesychius *εἰς τὸν γλουτὸν σιμῶι ποδὶ τύπτειν* (ex Aristophane Byzantio, cf. p. 224 Nauck, qui cetera testimonia congessit).

Etiam in mothone saltatione Attica[1] nautarum consimilis figura fuit teste Aristophane, qui *μόθωνα ἀποπυδαρίσαι* dixit (Eq. 697)[2]. Recte scholiastam (= Et. M. 696, 2) explicasse *δηλοῖ δὲ τὸ λακτίζειν* nunc docet Ludwichii anecdoton (ind. lect. Reg. 1906/7, 93, 1) *πυ[ν]δαρίζω· τὸ λακτίζω, ἐξ οὗ καὶ τὸ „ἀναπυ[ν]δαρίσας ᾤχετο ὄνος“*. Similis motus videtur indicari Hesychi glossa *ἀποσκελίσαι* (*ἀποσκελῆσαι* cod.: Salm.)· *παιδικὴν ὄρχησιν ὀρχήσασθαι*, cum *ἀποσκελίσαι* vix aliud quidquam sit nisi *τοῖς σκέλεσιν ἀπολακτίσαι.*

Aliud genus, et ipsum Doricae disciplinae specimen, fuit *θερμαστρίς* vel *θερμαυστρίς*[3]. Non figuram tantum, sed etiam

[1] *Μόθωνα* iam lexicographi antiqui confuderunt cum *μόθαξι* Lacedaemoniorum *συντρόφοις*, de quibus conferas Phylarchum (FHG I 347, ap. Athen. VI 271 e sqq.), sic Hesychius s. v.; Harpocr. s. v.; schol. Ar. Eq. 634; Et. M. 590, 14. Secuti sunt recentiores usque ad Schnabelium *Kordax* 16. Sed iam L. Weber, Quaest. lacon. 30 recte eos distinxerat.

[2] Vidit iam Schnabel l. s. 16.

[3] Utraque forma legitur. *θερμαστρίς* et *θερμαυστρίς* iuxtaposuit Pollux X 66; *θερμαστρίς* traditur Arist. quaest. mech. 21, 854 a 24; in

saltationem fuisse supra 2 dixi. De qua plura nos edocet Critias (frg. 36) apud Eustathium 1601, 26 intercedente Suetonio, sicut coniecit Diels. Eustathi verba sunt haec: *Σημείωσαι δὲ καὶ ὅτι ὀρχήσεως εἶδος ἦν ἡ τοιαύτη διὰ σφαίρας παιδιά, ὡς δηλοῖ καὶ ὁ οὕτω γράψας· θερμαυστρίς· ὄρχησις διὰ ποδῶν σύντονος· φησὶ γοῦν ὁ Κριτίας οὕτω· ἀναπηδήσαντες εἰς ὕψος πρὸ τοῦ κατενεχθῆναι ἐπὶ γῆν παραλλαγὰς πολλὰς ἐποίουν, ὃ δὴ θερμαυστρίζειν ἔλεγον.* Cum Eustathius paulo antea praecipue Lacedaemonios pilae ludo deditos esse dixisset, Diels *Λακεδαιμονίων πολιτεῖαι* Critiae fragmentum adscripsit. In *θερμαυστρίδι* quoque pilae locus fuisse videtur, siquidem Eustathi verbis fides est, qui (l. supra s.) *τὴν διὰ σφαίρας παιδιάν* idem putavit, quod *θερμαυστρίδα*. Ex Critiae verbis apparet saltationem forcipis nomen a *παραλλαγαῖς* accepisse. Sed pilae an pedum *commutationes* accipiendae sint, incertum est. Cruribus enim decussatim compositis forcipis forma fere eveniebat. Sed potuerunt etiam pilarum *παραλλαγαί*, si duae erant, eandem efficere figuram.

Alter est gestus *τοῦ σχιστὰς ἕλκειν*, in quo *πηδῶντες ἐπήλλαξαν τὰ σκέλη* (Poll. IV 105; cf. Hes. s. v. *σχίσμα*). Quem Schnabel (*Kordax* 2) recte arbitratur esse „*das Anziehen der kreuzweis sich spaltenden Beine*“. Sic enim re vera vocem *τοῦ ἕλκειν* interpretandam esse Galenus docet (san. tuend. VI 155 K.),

---

Euphorionis papyro Berolinensi (*θερμάστραις*) frg. 62, 7 Scheidw. (= *Berl. Klass. Text.* V 1, 57); Regg. III 7, 40. 45 (*θερμαστρεῖς*); Hes. s. v. *θερμάστραι* et *θερμαστρίς*; Athen. 630 a (*θερμαστρείς A*); *θερμ[α]στίς* appellatur clavus chitonis in inscriptione *στοιχηδόν* scripta IG II 754, 29. Contra *θερμ α ύ στραι* Callim. h. Del. 144; *θερμαίσ[τ]ρ[α]ς* inscriptio Delia *BCH* XXXII 1908, 14 tab. B. 19; *θερμαυστρίς* Critias frg. 36 Diels; Poll. IV 102. 105; Athen. 629 d; Phot. s. v.; *θερμαυστρίζειν* [Luc.] salt. 34. Vocem cum verbo *αὔω haurio* compositam esse sicut *ἐξ-αυστήρ πυρ-αύστης*, quibus nunc accedit *ἐξ-αύσ[τρ]ιον* IG XI 2, 161, 669, docuit Osthoff (*Perfekt* 484 sqq., imprimis p. 488). Dipthongus igitur legitimus analogia vocum in *-άστρον*, velut *στέγαστρον ζύγαστρον*, mutatus est. Eodem modo *κάναστρον* et *κάναυστρον* occurrunt, quod ex IG I suppl. 277 d 11 apud Poll. X 86 restituit Wilhelm *Oest. Jh.* VI 1903, 236. Latet praeterea fortasse in cantilena Rhodiorum Athen. VIII 360 c 9, ubi *καννυστρον* (sic A) non in *κάννυστρον,* sed in *κάναυστρον* emendaverim. Sed caute ut agerem in voce e semitico k a n ū derivata cuius *u* in varias formas abire potuerit, me monuit Bezzenberger, quem consilio suo mihi adfuisse grato animo profiteor.

qui ad corpus corroborandum quam maxime conferre ait motus saltatorum, *ἐν αἷς (κινήσεσιν) ἅλλονται μέγιστα καὶ περιδινοῦνται στρεφόμενοι τάχιστα καὶ ὀκλάσαντες ἐξανίστανται καὶ προσσύρουσι καὶ διασχίζουσι ἐπὶ πλεῖστον τὰ σκέλη.* Etsi non idem motus apud Galenum describitur, qui apud Pollucem, quippe cum Galeni saltator diiuncta crura tantum componat, Pollucis vero decusset, tamen similitudine uti licet, ut *ἕλκειν* hoc loco idem fere esse ac *προσσύρειν* sumamus. Emmanuel (*La danse Grecque, Paris* 1896, 157 § 255) vasculum Etruriae attulit, in quo *τὸ σχιστὰς ἕλκειν* depingitur. Saltatores *διασχίζοντας* saepius in vetustioribus vasculis offendimus. Videas exempla hominis, qui sic *διασχίζει ἐπὶ πλεῖστον τὰ σκέλη* in cratere Corinthiaco Parisino, Pottier *Vases du Louvre* I tab. 44 = Perrot-Chipiez *Hist. de l'art* IX 597 fig. 305, vel in severae artis psyctere rubris figuris picto Emmanuel l. s. tab. 1.

Tertium figurarum genus constat motibus totius corporis. Quarum in numero *στρόβιλος* (Athen. 630a; Poll. IV 100; Hes. s. v. = Phot. s. v. *στρόβιλοι*; Phryn. soph. praep. 110, 3 Borries; cf. Orio 146, 26; Et. M. 730, 38), quo turbinis instar circumferuntur, in Bacchica saltatione primum locum tenet (Rohde *Psyche* II² 9, 4), sed etiam in tragoedia inveniebatur (Ar. Pac. 864, cf. v. Leeuwen ad h. l.; Thesm. 122). Saltatio ipsa non *στρόβιλος*, sed *δῖνος* vocabatur (Athen. XI 467f; Hes. s. v. *δεῖνος* = Et. M. 277, 15 = Et. Gud. 146, 53; Erotian. 63, 16 Klein). *Κυβίστησις* (Poll. IV 105) cernua saltatio et *διαρρικνοῦσθαι* (Poll. IV 99; Et. M. 270, 5; Hes. s. v., cf. Suid. et Phot. s. v. *ῥικνοῦσθαι*; Luc. Lexiph. 8) indecori lumborum motus perspicaciores sunt, quam de quibus multa disseramus.

Plura dicenda sunt de *καλαβίδι*. *Καλλαβίδας* inter figuras affert Athenaeus (629f sq.). Eupolis in Assentatoribus (frg. 163 I 304 K.) irriserat hominem nimis elegantem (Calliam ipsum) vel adulatorem induxerat supra modum illum laudantem:

ὃς χαρίτων μὲν ὄζει,
καλλαβίδας δὲ βαίνει,
σησαμίδας δὲ χέζει,
μῆλα δὲ χρέμπτεται.

Fuit idem incessus mollis et *πυγοστόλος*, quem Anacreo (frg. 59 B.) et Aristophanes *σαῦλα βαίνειν, σαυλοπρωκτιᾶν* vocant[1]. Sic Ephesiae puellae saltant *τοῖν ἰσχίοιν τὸ μὲν ἄνω, τὸ δ' αὖ κάτω* [*ἐξαίρουσι*] *οἷα κιγκλὶς ἅλλεται* (Autocr. I 806 Kock), quod dilucidius quam decentius interpretatur Theocriti *προσκιγκλίζειν* cevere (Theocr. V 117, cf. praeterea Iuv. 11, 164; Mart. V 78, 27; Kaibel *G. G. N.* 1901, 509, 1). Interpretationem confirmant Phot. *καλλαβίδες· τὸ διαβαίνειν ἀσχημόνως καὶ διέλκειν τὰ ἰσχία ταῖς χερσίν* et Hes. *καλαβίς· τὸ περισπᾶν τὰ ἰσχία.* M. Schmidt vidit huc pertinere ultimam partem glossae Hesychianae *καλλίβαντες . . ἢ γένος ὀρχήσεως ἀσχημόνως τῶν ἰσχίων κρατουμένων* (*κυρτουμένων* coniecit M. Schmidt, sed *κρατεῖν* valet manu tenere; cf. Athen. I 19b et saepius). Lumbos igitur in *καλαβίδι* admotis manibus movebant[3]. Huc revocare inde a Lobeckio (Aglaoph. 1087) studuerunt viri docti duas Hesychi glossas: *καλαοίδια· ἀγὼν ἐπιτελούμενος Ἀρτέμιδι παρὰ Λάκωσιν*, et: *καλαβοῦτοι· ἐν τῶι τῆς Δερεατίδος ἱερῶι Ἀρτέμιδος ἀιδόμενοι ὕμνοι.*

Et primum quidem, quod Lobeck *καλαοίδια* in *καλαβίδια* corrigebat, litterarum ordine refellitur. *Καλαβοῦτοι* omnes corrigunt, Lobeck *καλαβίδια,* Ahrens (*Gr. Dial.* II 48, 20) *καλαβοίδια* i. e. *καλαϝοίδια.* Lobeckii sententiam probavit G. Dindorf (in thesauro s. v.), Ahrensii L. Weber, Quaest. Lacon. 60. Aliam viam nuper Nilsson ingressus est (*Griech. Fest.* 185), cuius haec sunt verba: „*Wenn . . . o eine grobe phonetische Bezeichnung des ϝ ist, wie in Ὀάξος für ϝάξος usw., ist die Sache vollständig in Ordnung, nur durfte man für καλαβοῦτοι nicht καλαβοίδια . . . schreiben, sondern nur καλαοίδια oder das aequivalente καλαβίδια*“. Quae sententia etsi plausum tulit L. Couvii (s. v. Kalaboidia in Daremb.-Sagl. encyclopaedia) et H. Schnabelii (*Kordax* 41), tamen facile refutatur.

---

[1] Quam vocem male nuper F. Hauser (Furtw.-Reichh. *Griech. Vasenmalerei* II 279, 1) confudit cum *ἁβρὰ βαίνειν,* quod idem recte interpretatus est: erectis pedis digitis lente incedere.

[2] *Τὸ μὲν κάτω, τὸ δ' αὖ εἰς ἄνω ἐξαίρουσα* codd. sequor Wilamowitzii lectionem, *Textgeschichte der Lyriker* 91 ann.

[3] Errat Schnabel *Kordax* 29, qui huc infert *τὴν εἰς γλουτοὺς κατάθεσιν τῶν χειρῶν*; cf. supra 20.

Quominus enim litteram *β* in voce *καλαβίδος* e digammo ortam putemus, obstat Eupolidis locus supra 23 allatus. Nempe in Attica quinti saeculi comoedia nemo digamma exspectabit; qua de causa vel quae Ricardus Meister de Hesychi glossis disputavit (*Sächs. Sb.* LI 1899, 153) stare non possunt. Sed omnino, ni fallor, coniecturis violentioribus carere possumus. *Καλαβώτης* enim lacertam significat; vox est ionica et communis pro attica *ἀσκαλαβώτου*[1]. *Καλαβούτης* vero legitur in papyro magica Wessely *Neue Zauberpapyri* 26, 186 nota vulgi confusione inter *ω* et *ου*[2]. Quare lenissima correctura propono: *καλαβοῦται* (*καλαβοῦτοι* cod.)· *ἐν τῶι τῆς Δερεατίδος ἱερῶι Ἀρτέμιδος ᾀιδόμενοι ὕμνοι. Καλαβῶται* per *ω* ordinem litterarum turbat; aut igitur iam Diogenianus vulgarem dipthongum admisit aut *καλαβῶται* non lemma est, sed antecedenti, quod est *καλαβίς*, adscriptum. Chori cur a lacerta nomen acceperint, mox videbimus. Illud iam apparet coniunctionem cum *καλαοιδίοις* Lacedaemoniorum certamine teneri non posse. Neque ulla re nisi coniecturis commendabatur. Sed *καλαβούτας* cum antecedenti glossa Hesychiana *καλαβίς* consociari posse mihi persuasi. Habemus praeter *ἀσκαλαβώτης* formam breviorem *ἀσκάλαβος* (Hes. s. v.; *G. D. I.* III 1, 3123). Pythii Cretensium nomen proprium occurrit *Κάλαβις* (*G. D. I.* III 2, 5030, 4), quod e *Καλαβώτης* breviatum esse dixit Bechtel ad *G. D. I.* III 2, 5727 a 63, ubi plenior forma in Halicarnassensi titulo legitur. Sive igitur huic sententiae adstipuleris, sive quod W. Schulze (l. s.) rectius fecit *ἀσκάλαβος* terminatione *-ώτης* amplificatum censeas (hoc etiam suadet Argiva forma *καλαβ-ύστας* Hes.), utraque via *καλαβίς* cum *καλαβούταις* coniungi potest[3]. Hesychius habet *καλαβάς· καλαβώτης*, quod I. Vossius in *καλαβύς* corrigebat (inter *καλαβρός* et *καλαβύστας*); malim *κάλαβος* vel *καλαβίς*, licet repugnante litterarum ordine.

---

[1] Testimonia congessit W. Schulze *Zeitschr. f. d. Gymnasialwes.* XXXXVII 162. Adde Pap. mag. Lugd. 13, I, p. 816 Diet.; Wessely *Neue Zauberpap. Wien. Abh.* XXXXII 1893, l. 694 p. 43.

[2] K. Dieterich *Unters. z. Gesch. d. griech. Sprache* 15 sqq.; Mayser *Gramm. d. gr. Pap.* 99 sq.

[3] *Καλαβίς*: (*ἀσ*)*κάλαβος* = *στολίς*: *στόλος*, *αἰχμαλωτίς*: *αἰχμάλωτος*, *δουλίς*: *δοῦλος*, *Ἄρταμις*: *ἄρταμος*.

Optime significatio quoque quadrat: cauda enim lacertae admodum similiter saltatoribus, quos supra descripsi, agitatur. Etiam σαῦλος vulgo suo iure cum σαύραι coniungitur (Schrader *Reallexikon* 169; Prellwitz *Etym. Wb.*[2] 406). Una restat difficultas: Photius et Athenaeus καλλαβίδα geminata λ scribunt affirmante Eupolide, in cuius versu καλλαβίδας δὲ βαίνει longa postulatur in dimetro choriambico. Obversantur inscriptiones supra allatae, ἀσκαλαβώτης vero alteram syllabam correptam habere docet Arist. Nubb. 170. Fortasse Eupolis in peregrina (ionica) voce cogente metro primam produxit. Photius vero et Athenaeus a Tryphone pendent (cf. 8, 1), qui Eupolidis loco nitebatur. Apud Hesychium καλαβίς ordine litterarum firmatur.

Restat quartum genus figurarum, quo totius chori motus describuntur. E quibus unam saltem intellegimus tragicae saltationis, quae vocatur παραβῆναι τὰ τέτταρα (Poll. IV 105). Meminerimus enim tragici chori quinque ordines fuisse (Poll. IV 109); κατὰ στοῖχον igitur incedentes si quando ita locum mutabant, ut qui ultimi starent in primum ordinem progrederentur vel primarii invicem ad ultimum locum sese reciperent, unusquisque quattuor ordines praeteribat, ita ut primus ordo quintus evaderet, alter quartus e. q. s. Cetera omnia obscura sunt. Neque enim quid sit κρίνον (Athen. III 114 f; Hes. s. v. κρί⟨ν⟩ον) neque διπλῆ (Poll. IV 105; Hes. s. v.) neque ξύλου παράληψις (Athen. 630 a; Poll. IV 105)[1] intellegimus.

Multa praeterea videmus in vasculis ceterisque artis monumentis, de quibus fusius egit Mauritius Emmanuel (*La danse Grecque antique, Paris* 1895), sed neque certa eis nomina dare possumus neque quatenus artifices gestus fideliter retinuerint, quatenus propriae artis legibus obtemperantes libere mutaverint, dignoscere valemus.

---

[1] Scaliger (l. s. 26) ξύλου παράληψιν explicat: cum tollere quippiam volebant. Cf. infra 67.

Caput III

De saltationibus armatis

Armatorum saltationes qui volet recensere, merito initium petat a pyrricha[1], qua nec nobilior fuit ulla apud veteres neque nobis melius cognita. Cum enim varia olim fuerint bellicae saltationis genera apud Graecos, historia unius pyrrichae, quippe quae Atheniensibus accepta fuerit, paulo amplioribus testimoniis nititur.

[1] Plerumque neque tamen semper apud auctores Latinos traditur pyrrica per c: Apul. Met. X 29, p. 260, 22 H.; Fronto ad Caes. I 5, p. 12 Nab.; Spart. V. Hadr. 19, 8; pir(r)ica (bis) in epigrammate codicis Salmasiani 115, 3 (I 131 Riese); C. Gl. L. V 442, 57.; 563, 4. Plin. N. H. VIII 5 habet pyrrice R, pirrice Fd, pernice Ea, pyrrhice Toletanus; quod nunc vulgo editur pyrrhiche, primus scripsit J. N. Victorius. Apud eundem N. H. VII 204 pyrrhicen F, pirricen a, pyrrhichen R. Sidon. ep. IX 15 carm. 8 pyrrica P(arisinus), pirrica C (Matritensis), pyrrhichia Paris. F, pirricha M(arcianus) in rasura manu correctoris. Diomed. G. L. I 475, 13: pyrriciam A B, pyrrichiam M; l. 15: pyrricae M, pyrrice A, pyrrichie B; l. 21: pyrricam B, pirricham M, pyrricham A. Quibus lectionibus verisimile videtur Diomedem quoque pyrricam scripsisse. Per c pueros in ludo vocem scripsisse docet parietaria inscriptio CIL IV 1364, ubi phyrrice (sic!) legitur in enumeratione vocum, quae omnes in -i c e exeunt; inscribitur 'nomina · NYCIHI' quod videtur legendum esse 'nomina (i)n yce (vel ice)'. Tenemus nescio cuius tironis exercitationem, quam parieti male sedulus appinxit. Totius laterculi indole terminatio -ice defenditur, ne phyrrice pro pyrriche permutata aspiratione scriptum putemus. Contra vox per ch scribitur CIL VI 10141 = Dessau 5261; Amm. Marc. XVI 5, 10; Ulp. Dig. 48, 19, 8 (pyrricharii); Suet. Ner. 12 (pirricas dett.); Caes. 39 (pyrricham M vetustiss. et X; pyrr(h)icam G V et familia Y, cf. M. Ihm p. LVIII praefationis); frg. 197 Reiff. ap. Serv. Aen. V 602 (pyrricum F, pyrricam M l). Pes pyrrichius semper per χ scribitur, unde metrici eandem scripturam in voce pyrrichae adhibent Mar. Vict. G. L. VI 44, 13 sqq. K.; Ter. Maur. p. 366 v. 1366; Mar. Plot. 497, 16 sqq. In textu tradita retinui.

Ac primum quidem, quam late patuerit saltationis usus, quaerendum. *Πύρριχος* est deminutivum vocis *πυρροῦ*. Terminatio *-ίχος* apud Dores, sed in Attica quoque et Euboea occurrit (cf. appendicem). Saltationis nomen invenimus Amarynthi (infra 37) Athenis (infra 32), Megaris (infra 37 sq.) in deorum feriis. Praeterea saltationem bellicam, quam Aristocle teste (Athen. 631 a) [1] inde a quinto anno Lacedaemoniorum pueri exercebant, pyrricham appellatam esse tradidit Aristoxenus (Athen. 630 e). Cretenses vero puerorum *ἀγέλας* idem fecisse tradunt Ephorus (ap. Strab. X 480 = FHG I 250) et Nicolaus (Stob. eclog. IV 2, 25, vol. IV 162, 1 H. = FHG III 459). Nomen illius saltationis non traditur, sed cum bona pars auctorum saltationem bellicam ex Creta oriundam esse dixerint [2], vel huic regioni nomen pyrrichae ascribendum videtur (sed cf. infra 31 et 111, 1). Neque procul abest nominis pyrrichae origo. Nulla enim alia fere relinquitur ratio, nisi a saltantium colore eam nominatam esse. Rubra vero vestimenta tam apud nostri temporis feras gentes [3] quam apud Romanos [4] in bellis usitata in Graecia quoque antiquissimis temporibus a militibus portata esse nonnulla huius consuetudinis reliquia demonstrant [5]. Sago rubro, quam *φοινικίδα* appellat, Lacedaemonii teste Aristotele in proelium ibant (schol. Ar. Ach. 320 = frg. 542 R.). Eiusdem in certaminibus usum notat Xen. rep. Lac. 11, 3: *εἴς γε μὴν τὸν ἐν τοῖς ὅπλοις ἀγῶνα τοιάδ' ἐμηχανήσατο* (Lycurgus), *στολὴν μὲν ἔχειν φοινικίδα* e. q. s. Porro Plataeensium praetor, cui per reliquum tempus ferrum ne attrectare quidem licebat neque veste indui nisi candida, victoribus pugnae Plataeensis parentans *χιτῶνα φοινικοῦν ἐνδεδυκὼς ξιφήρης* incedit (Plut. Arist. 21, 4). Quod sic potissi-

---

[1] Cf. Philostr. gymn. 19; Tzetz. ad Lycophr. 249; Quint. I 11, 18.

[2] Eph. et Nicol. l. s. s.; Sosib. ap. schol. Pind. Pyth. II 127 ∼ Mar. Plot. G. L. VI 497, 16 sqq. K.; Hes. s. v. *πυρριχίζειν*; schol. A Hom. *Π* 167 ∼ Dio or. II 61 vol. I 29, 18 Arn. (ex Dioscuride, R. Weber *Lpz. Stud.* XI 117 frg. 38); Plin. VII 204; schol. Arat. 30, 1 p. 346, 16 Maaß.

[3] E. Grosse *Anfänge der Kunst* 60 sqq.

[4] Notum est imperatoris paludamentum; de Saliorum trabea rubra cf. Wissowa *Rel. u. Kult. d. Röm.*² 556, 2.

[5] Usus ratio incerta est, nisi quod sanguinem indicari in propatulo est. (Cf. Diels *Sibyll. Blätt.* 70 ann.)

mum explicari potest, ut eum tunc militare sagum assumpsisse putemus. In scaena denique milites et venatores portant *συστρεμμάτιόν τι πυρφυροῦν ἢ φοινικοῦν* (Poll. IV 116). Mansit igitur usus vetustus in scaena, in religione, apud Lacedaemonios institutorum veterum tenacissimos. Ac ne quis mihi respondeat *φοινικίδα* vel similiter ubique sagum militare appellari, non *πυρρίχην*, consideret velim Hesychi glossam e nescioqua Dorica dialecto servata: *πυρρίχα· χλαμὺς ἢ πελτάριον*[1].

Difficilior oritur quaestio, qua de causa armati saltaverint. Semperne inde ab antiquissimis temporibus fuit exercitatio ludusque an alius suberat sensus, qualem apud ceteras fere gentes novimus? Illae enim plerumque ante ipsam pugnam saltare solent, ut suis animum addant, segnes incitent, hostibus denique terrorem incutiant, quin etiam his motibus revera hostium vires profligari putant[2]. Huius opinionis nulla apud Graecos manent vestigia[3]; ne illud quidem certum est, num omnino in bellis usu venerit ante pugnam. Haec fere sunt, quae huc revocare possis: Cretenses pyrrichae genus *ὀρσίτην* „excitatorem" vocant (Athen. 629c). Thessali viros fortes *προορχηστῆρας* vocaverunt atque illis *εὖ ὀρχησαμένοις τὰν μάχαν* statuas erigebant ([Luc.] salt. 14); *ὀρχεῖσθαι* igitur pro *μάχεσθαι* dixerunt. Bellica denique saltatio arte coniuncta est cum Castoris cantu, ita ut vel ille in pyrrichae inventoribus enumeretur (schol. Townl. Hom. *Π* 617; Plat. legg. VII 796b)[4]. Eadem olim narrabantur in scholio Pindarico

[1] Scilicet parmula viminibus contexta rubra pelle, bovis puta, tegebatur.

[2] K. Th. Preuss *Globus* LXXXVII 1905, 336; Frazer *Golden Bough* II² 335 (in tertia editione adhuc deest); H. Berkusky *Z. f. Anthropol.* XXXIX 1912, 89.

[3] G. Murray nuper (*Anthropology and the Classics* 77) apud Hesiodum (scut. 99) verba *κεκληγὼς περιμαίνεται* (Mars, qui Herculis impetum exspectat) interpretatus est: „*He raged round, working up his* m a n a *and inspiring all terror possible*". Sed *μανίαν* ex ardore Martis explicari posse neminem fugit.

[4] [Luc.] salt. 10 eandem saltationem respicit, sed perperam cum virginum Caryatidarum saltatione confudit, quod ut faceret, eum similitudine saltationum inductum fuisse sumpsit Wolters (*Zeitschr. f. bild. Kunst* VI 1895, 42). Similiter apud Epicharmum (frg. 75 Kaib.; cf. Aristid. or. 37,

Pyth. II 127: *τινὲς δὲ ῥυθμόν τινά φασι τὸ Καστόρειον, χρῆσθαι δ' αὐτῶι τοὺς Λάκωνας ἐν ταῖς πρὸς τοὺς πολεμίους συμβολαῖς· διέλκεται* (*διέρχεται* EFQ) *δὲ ἡ τῆς πυρρίχης ὄρχησις κτλ.* Sequuntur virorum doctorum de pyrrichae auctoribus sententiae, in quibus Castor nunc quidem deest, at olim adesse debuit, simodo ullo vinclo haec cum antecedentibus coniungebantur. Quin etiam scholiasta dixisse videtur ad Castoreum carmen pyrricham saltatam esse, nam sic demum intellegis, cur ut Castoreum explicaret, pyrricham attulerit. *Καστόρειον μέλος* vero ante ipsam pugnam cantatum fuisse testis est praeter scholion Pindari (l. s.) Plutarchus tam genuinus (Lyc. 22, 2) quam personatus (de mus. 26 p. 1140 c). Sed haec omnia quam frivola sint, apparet; alia vero veterum testimonia aliam pyrrichae originem indicare videntur. Tradunt enim nunnulli primam Minervam in Titanibus victis eam saltasse (Dion. Hal. ant. Rom. VII 72, 7; cf. Plat. legg. 796 b), alii, in quibus Archilochus (frg. 190 B.) nobilissimus est, Neoptolemum Eurypyli caede laetum pyrricham invenisse narrabant (schol. Townl. Hom. *Π* 617; Hes. s. v. *πυρριχίζειν*; schol. Pind. Pyth. 2, 127; Diomed. G. L. I 475, 15 K.). Quibus fabulis forsitan usus saltandi subsit victoria parta. Quod alias quoque gentes facere, ut hostis occisi animam propellant, docet Frazer (*G. B.* III³ 165 sqq.; imprimis 178[1]). Sed hoc quoque admodum incertum esse unusquisque videt. Et fieri potest, ut et haec et illa, quam supra dixi, causa coniunctae intercesserint in saltationis bellicae initiis. Quo tempore primum paulo certioribus testimoniis utimur, pyrricha in feriis deorum dumtaxat et in exercitationibus locum tenuit. Qua de causa melius fortasse omnino iudicium cohibendum[2]. Quod vero Aristoteles (frg. 519 R.) Achillem in Patrocli rogo instituisse pyrricham contendit[3], sane usu religione sancto

22 p. 310, 17 Keil) Castoribus pyrricham saltantibus Minerva tibiis accinisse fertur. Cf. Bethe *Realenz.* V 1, 1092. Omnis saltationis inventores idem audiunt schol. Townl. Hom. *N* 637, procul dubio epitomatoris culpa.

[1] Addo Mossynoecorum exemplum Xen. Anab. V 4, 17.

[2] Usener e solis cultu eam originem ducere dixit (*Rh. Mus.* IL 1894, 465 sqq.).

[3] Hanc sententiam cum Neoptolemi victoria confudit Mar. Plot. G. L. VI 497, 21 sqq. K.

nitebatur (infra 38). Tamen hanc esse saltationis 'originem' ne Aristoteli quidem concedi potest. Qui enim factum esset, ut hinc in campum deduceretur, non intellegitur neque cur a funere ad deorum ferias transferretur. Contra cur armati in tumulo quoque saltaverint, me infra explicaturum esse spero.

Sed priusquam pyrrichae historiam persequamur, alia „bellicrepae", quam vocat Festus, saltationis nomina colligamus. Cretensia duo affert Aristocles (Athen. 629 c), quorum unum *ὀρσίτην* iam supra 29 explicare conabar; alteram vocem *ἐπικρηδίου* intellegere mihi non contigit[1]. Tertia est *τελεσιάς*, quam et ipsam a Cretensi inventore nomen accepisse contendebant (Athen. 630 a; Poll. IV 99; Hes. s. v.)[2]. Nobis illud modo ut cognoscamus concessum est eam in Macedonia adhibitam esse (Athen. 629 c). Haec fuit, ni fallor, quam inter pocula Seleucidarum reges saltabant, quo tempore iam dudum pyrricha arma deposuerat, prisco Macedonum more usi (Dem. Sceps. frg. 7 Gaed. ap. Athen. IV 155 b). Strepitum significari voce *βρυαλίκται· πολεμικοὶ ὀρχησταὶ* (*ὤρχηται*: Lobeck) *μενέδουποι* (Hermann: *μεν αιδοι που* cod.) *Ἴβυκος καὶ Στησίχορος*[3] (Hes.) vidit Sittl (*Gebärden der Griech. u. Röm.* 230) collatis *βρυαλιγμόν· ἦχον, ψόφον* (Hes.) et *βρυαλίζων· διαρρήσσων* (Hes.). Restat denique *πρύλιος* nomen vetustate venerandum, quod Homerus adhibuit, ut peditem armatum significaret; manebat vocis usus apud Gortynios (Eust. p. 893, 37: *πρύλεες οἱ ἐν μάχηι πεζοὶ κατὰ γλῶσσαν Γορτυνίων, ὥς φασιν οἱ παλαιοί*[4]. Hesychi glossa *προυλέσι· πεζοῖς* cuius regionis sit, nescimus. Hesychius glossas, in quibus *ῡ* vocalis per *ου*

---

[1] 'nomen suspectum' Kaibel. Si *η* non genuina est, sed ab Aristocle Creticae *α* substituta, possis conferre victoris Olympici nomen *Ἐπικραδίου* Mantinensis Paus. VI 10, 9 et *κρήδεμνον* vel *κρησ-φύγετον*; sed quid his faciam, nescio.

[2] Est vero cum *τελετῆς* voce coniungenda; cf. Et. M. 751, 9 *τελεσιαζόμενα· θυόμενα καὶ τελούμενα.*

[3] *μετ' αἰδοίου* Lobeck, sed armati saltatores nusquam phallum gerunt. Hanc glossam, quam Lobeck male cum *βρυλλίχα* (8 sq.) confudit, dubitanter segregavit etiam Nilsson (*Gr. Feste* 186, 3).

[4] Cf. schol. Townl. Hom. *M* 77; schol. A Hom. *Δ* 49, cf. Lehrs *Arist.* 117; Suid. s. v. Vides igitur, quam male M. Schmidt in Hesychio s. v. *πρύλιν· πυρρίχην ἢ ὁπλίτην* pro ultimis verbis coniecerit *ἢ ἐνόπλιον*.

exprimitur, nominatim affert e Laconia, Boeotia, Cypro (Hoffmann *Gr. Dial.* I 169); sed cum etiam alias priscum vocalis $\bar{\breve{v}}$ sonum retinuisse constet (cf. e. g. Lesbiam Thumb *Handb. d. gr. Dial.* 255, Pamphyliam ibid. 300), in hac re argumento e silentio uti non licet. Saltationis nomen fuit teste Aristotele (frg. 519) apud eosdem Cretenses[1]. Lesbi quoque usitatam esse vocem docet *ὁ Λέσβιος πρύλις* proverbium ([Plut.] prov. Alex. 42); in illa regione nomen *Πρυλίου* quarto a. Chr. saeculo invenitur (Thasi: IG XII 8, 277, 4). Quae omnia indicare videntur vocem *πρύλιος* mediae Graeciae quas dicunt dialectis deberi et apud Homerum Aeolici non Ionici sermonis esse[2].

Sed iam redeamus ad pyrricham, cui cetera genera suis quaeque locis addentur. Et initio quidem certantium speciem praebuisse videtur, velut in vasculo artis geometricae, quam a Dipylo vocamus (Furtwängler *Arch. Ztg.* XLIII 1885, tab. 8, 2). Videmus viros duos scuto binisque hastis instructos obviam sibi saltantes. Sed iam in hac amphora a ceteris armatorum certaminibus differt. Eadem fere res est in sarcophago Clazomenio (Murray *Terracotta Sarcophagi* tab. 2). Neque ullo praeterea testimonio saltatores in pugnantium similitudinem compositos esse proditur, nedum vero proelio eos decertasse verisimile sit. Quod satis apparet in Panathenaeorum sollemnibus, ubi vetustissimae fuere partes pyrrichae. Vetustissimas ideo dixi, quia tam parvis quam magnis feriis inducebatur (Lys. 21, 4). Qua re apparet, cum anno 566 magna sollemnia instituerentur, ritum e parvis in illas receptum esse. Isaei testimonio (5, 36[3]) constat phylas singulas singulos pyrrichistarum greges dedisse. Neque

[1] Recte V. Rose (Arist. pseudepigr. 481) tradita verba *παρὰ Κυπρίοις* in *παρὰ Κρησίν* mutavit, cf. schol. Townl. Hom. Ψ 130.

[2] *Πρύλιν* saltationis nomen praeter Cretenses unus Callimachus novit (Iov. 52; Dian. 240).

[3] *Οὗτος γὰρ τῆι μὲν φυλῆι εἰς Διονύσια χορηγήσας τέταρτος ἐγένετο τραγωιδοῖς [δὲ] καὶ πυρριχισταῖς ὕστατος.* Licet enim *τῆι φυλῆι* sicut verba *τὰ Διονύσια* ad priorem partem enuntiati pertinere contendas, complures certasse catervas testis est *ὕστατος*, quod de duabus dici non potest. Tum vero hoc certamen eodem, quo cetera, modo inter phylas fuisse longe verisimillimum est. Falsus igitur A. Mommsen *Feste der Stadt Athen* 100, qui hunc locum neglexit.

proelio commisso victoria parta est, quod sumpsit Mommsen (l. s.). Decem enim videntur exstitisse turbae, e quibus una tantum vincebat. Quodsi binae inter se pugnassent, quinque victrices haberemus ex illarum numero, non unam, neque quo indicio ordo catervarum constitueretur, intellegeres. Qua de causa procul dubio similiter atque ceteri chori apparatus lautitia et motuum decore praemia ordinemque nacti sunt. Convenit, quod ubique de arte, qua pyrrichistae scutum movere didicerint, locuntur auctores (Ar. Nubb. 988; Eur. Andr. 1135). Neque qui unus ampliora nos edocet Plato, de proeliis loquitur (legg. 815a): *τὴν πολεμικὴν δὲ τούτων . . . πυρρίχην ἄν τις ὀρθῶς προσαγορεύοι, τάς τ' εὐλαβείας πασῶν πληγῶν ἐκνεύσεσι καὶ ὑπείξει πάσῃ καὶ ἐκπηδήσεσιν ἐν ὕψει καὶ ξὺν ταπεινώσει μιμουμένην καὶ τὰς ταύταις ἐναντίας τὰς ἐπὶ τὰ δραστικὰ φερομένας αὖ σχήματα ἔν τε ταῖς τῶν τόξων βολαῖς καὶ ἀκοντίων καὶ πασῶν πληγῶν μιμήματα ἐπιχειρούσας μιμεῖσθαι*[1]. Ephorus vero in Cretensium institutis describendis clare distinxit inter saltationem armatam (Strab. X 480) et simulata proelia (ibid. 483). Neque gymnopaediorum certamen, quod verum proelium fuisse scimus, pyrricha vocabatur. Illud enim in theatris actum esse constat. Sed pyrricham antequam in theatra se conferrent, saltatam esse tradit Aristoxenus (Athen. XIV 631c). Accedit, quod carmina in pyrrichae usum condebantur. Sosibius (schol. Pind. Pyth. 2, 129) eam inter *ὑπορχήματα* numeravit[2], id est, inter eas saltationes, in quibus alii saltare solent, alii cantare[3]. Et revera pyrricharum poetas novimus. Cinesiam ob huius modi carmen vituperat Aristophanes (Ran.

---

[1] Aliter de Platonis fide iudicavit Downes *The offensive weapon in the pyrrhic, Class. Rev.* XVIII 1904, 101 sqq.: *Plato uses the word πυρρίχη in this general sense in a passage often quoted to illustrate the Pyrrhic, a use for which it is worthless.* Sed aeque atque in aliis Atheniensium institutis vel hic ab ea saltem parte, qua Plato cum ceteris auctoribus consentit, plura tamen exhibet, eum in nostrum usum convertere fas videtur.

[2] Proclus (chrest. 246, 9 Westphal) Curetes vel Pyrrhum invenisse *ὑπορχήματα* tradit.

[3] Numeri quoque ab armis nomen duxerunt *ἐνόπλιοι*. Sed vulgo ad solum tibiarum cantum fiebat pyrricha, unde nominatur *τὸ πυρριχιστικόν* (Poll. IV 73) et tibia *πυρριχίνη* (Ludwich, Anecdota orthogr., Ind. lect. Reg. 1906/07, 93, 17).

153). De Phrynicho legimus ap. Suid. s. v. = schol. Aldin. Ar. Vesp. 1490: *ἐποίησε δὲ καὶ πυρρίχας*; filius fuisse perhibetur ille Melanthae (l. s.). Sed nullum huius patris novit Phrynichum antiquitatis doctrina; in laterculo homonymorum schol. Ar. Av. 750, qui ad Demetrium Magnetem redire videtur, tragicus comoedus, comicus imperator enumerantur. Neque tamen propter hanc difficultatem totum locum damnare licet. Rarius enim genus litterarum fuit, in quo ille versatus esse dicitur, quam quod falsario attribuas. Aelianus vero (v. h. III 8) Phrynichum, quod *τοῖς πυρριχισταῖς ἔν τινι τραγωιδίαι ἐπιτήδεια μέλη* scripserit, ducem factum esse ab Atheniensibus narrat. In tragoedia pyrrichae nullus locus dabatur, sed tragicum poetam auctorem pyrricharum fuisse haec narratio demonstrat, etsi ad notam illam de Sophoclis Antigona fabulam ficta est. Praeterea saltationes Phrynichi tragoedi, Polyphrasmonis filii, summis laudibus efferebantur (Aristocles, Athen. I 22a; cf. schol. Ar. Nubb. 1091), ita ut illius epigramma ferretur *σχήματα δ' ὄρχησις τόσα μοι πόρεν, ὅσσ' ἐνὶ πόντωι κύματα ποιεῖται χείματι νὺξ ὀλοή* (Plut. conviv. 8, 9 p. 732f). Euphronius *σχῆμα τραγικῆς ὀρχήσεως* ab eius nomine appellatum novit (schol. Ar. Vesp. 1530). Saltatione Phrynichi familiam imprimis gloriatam esse testis est *Φρύνιχος Ὀρχησαμενοῦ* Andoc. I 47 [1]. Phrynichi paeanes fuisse narrat Timaeus (ap. Athen. VI 250b); idem hymnum in Minervam composuit (P. L. G. III⁴ 561). Quare tragicum poetam interdum et pyrrichas composuisse fere certum videtur [2]. Restat, ut de cultu numeroque pyrrichistarum Atheniensium quae scimus componam. Quarto quidem saeculo tripertitum erat certamen pueris, adulescentibus, viris (IG II 2, 965b 22sqq.), sed hoc ab antiqua institutione recedere recte observavit Mommsen (l. s. 101). *Ἀγένειοι* enim ante quartum saeculum nusquam in inscriptionibus comparent; sed num idem *παῖδας* quoque recte a vetusto tempore alienos iudicaverit, dubito,

---

[1] Cf. Reisch *Realenc.* III 2 col. 2394; Ad. Wilhelm *Philol.* LX 1901, 485.

[2] Turbatum schol. Ar. Ran. 688 adhibere nolui. Heraclidae Pontici pyrrichae (Diog. Laert. V 93), salticae fabulae fuisse videntur (Rohde *Kl. Schr.* I, XX 2).

cum *ἀνδρῶν* et *παίδων χοροί* iam quinto saeculo notissimi sint. Numerum idem ter octo fuisse sumpsit ex anaglypho Atheniensi (Beulé *L'Acropole* II tab. IV a; Sybel *Skulpt. v. Athen* 6151; Friedrichs-Wolters *Gypsabg.* 1331), ubi pyrrichistas apparere inscriptione edocemur (IG II 3, 1286)[1]. Octo enim in illo iuvenes conspiciuntur imberbes, casside atque scuto obtecti; omnes eodem gestu laevum brachium protendunt, pede dextro incedunt, ut inter hos motus forsitan aliqua vicessitudo observari possit[2]. In angulo dextro videmus hominem toga vestitum, gregis magistrum. Inde Mommsen octo *ἀγενείους* fuisse statuit. Sed in eodem monumento septem choreutae cyclii chori praeter magistrum apparent, non igitur numero recto, sed spatio operis artifex consuluit. Quot iuvenes in uno grege fuerint, nescimus.

De cultu pyrrichistarum nuper egit Downes (l. supra 33, 1 s.). Qui hoc quidem recte demonstravit nullum eis fuisse gladium; sed quod Atheniensi anaglypho et Vaticano (Visconti *Mus. Pio.-Clem.* IV tab. 9; Helbig *Führer* I² 186, 298) fretus illis omnino tela defuisse dixit[3], in hac re longius a vero aberravit.

Vaticani monumenti saltatores Atheniensi admodum similes sunt; protenso brachio sinistro pes dexter prolatus respondet. In utroque anaglypho saltatores scutis galeisque armati incedunt alioquin nudi. Sed reverane nudi fuere pyrrichistae Panathenaeis? Downes 104 hoc sequi ex Ar. Nubb. 987 sqq. dixit: *σὺ δὲ τοὺς νῦν εὐθὺς ἐν ἱματίοις προδιδάσκεις ἐντετυλίχθαι, ὥστε μ' ἀπάγχεσθ' ὅταν ὀρχεῖσθαι Παναθηναίοις δέον αὐτοὺς τὴν ἀσπίδα τῆς κωλῆς προέχων ἀμελῇ τις* (*τῆς*: Hermann) *Τριτογενείης*. Scilicet cum iuvenes pallii cultu bellicam saltationem dedocerentur, omnino veste caruisse in pyrricha illi visi sunt. Sed in *ἱματίῳ* manus abscondere solitos esse adulescentes satis notum est, et hac consuetudine eos emolliri arbitratur

---

[1] Assensus est Reisch *Realenc.* III 2 col. 2380.

[2] Sed memineris easdem *εὐρυθμίας* leges marmorario scriptas esse atque saltatori. Similes motus in anaglypho Vaticano mox commemorando cernuntur, sed ne consensu quidem horum multum proficimus.

[3] Sic iam Hauser *Neuatt. Reliefs* 23, etsi dubitanter.

Δίκαιος λόγος; plura Aristophanis loco non demonstrantur. Quominus pyrrichistas *χιτῶνα* vel *χλαμύδα* habuisse sumamus, nihil, si quid video, obstat. Immo nomen accepit bellica saltatio a militari sago (supra 28 sq.), postea autem imprimis cocceis luteis vestibus saltatores conspiciebantur (infra 58), quod facilius intellegimus, si cultum antiquitus traditum posteri auxerunt. Sicut in hac re minorem esse anaglyphorum fidem animadvertimus, in telis quoque Downesium temere eis credidisse videbimus. Hastae enim in pyrricha usum expressis verbis testatur Athen. 631 a[1]. Quod vasculis confirmatur, in quibus saepius videmus iuvenes scuto galea hasta ornatos ante tibicinem vel stantes, vel iam saltantes[2]. Accedunt feminae pyrrichistae, quae semper hastas gerunt (cf. laterculum infra 40, 3). In anaglyphis illis vero choreutae marmorarii arte a vitae cotidianae similitudine alienati sunt, quo nobiliores viderentur.

Quinam sensus fuerit pyrrichae in Panathenaeis, simodo fuit magis reconditus, nescio. Quae de causis referunt (supra 30 sq.) nihil nos iuvant. Quare forsitan ab initio merum virtutis bellicae spectaculum fuerit, sane neque dea neque populo indignum.

Fortasse cum pyrricha coniungenda *ἡ τετράκωμος ὄρχησις* (Poll. IV 99. 105; Athen. 618 c), etsi bellicam eam fuisse minime certum est (supra 5). In Herculis templo a quattuor

---

[1] Hunc locum non, ut ille (l. s. 103) putavit, ad nesciocuius gentis saltationem spectare sed ad Atheniensem infra (57 sqq.) apparebit.

[2] Hastae in antiquissimis picturis supra 32 allatis occurrunt; cf. praeterea

I. nigris figuris

1. alabastron: Benndorf *Griech. und siz. Vasenb.* tab. 43, 4 b; Collignon-Couve *Catalogue des Vases d'Athènes* 1077.

II. rubris figuris

a) severae artis

2. Pamphaei patera Monacensis: Jahn *Beschr. d. Vasensammlg.* 439; Klein *Meistersign.*[2] 92.

3. patera Parisina: Emmanuel *La danse grecque antique* 262 fig. 531.

b) pulcrae artis

4. oenochoe: Laborde *Coll. des vases du comte Lamberg* II tab. 40, 1; Sacken-Kenner *Sammlg. d. KK. Münz- u. Antikenkab.* 231, 177.

5. Stephani *Compte R.* 1864 tab. 6, 5.

Telum deest in pelice Atheniensi n. f. Collignon-Couve 787.

pagis quod vocabatur, Panathenaeorum tempore *γυμνικοὶ ἀγῶνες* celebrabantur (Steph. Byz. s. v. *Ἐχελίδαι*). Quattuor illi pagi olim coniuncti (cf. Busolt *Griech. Gesch.* II² 81, 3) ferias vetusti foederis signum etiam retinuerunt, postquam una cum ceteris Atticis Athenienses facti Panathenaea celebrarunt. Fortasse saltatio quoque in his fuit, sed qua ratione haec coniectura confirmari possit, non video.

Coniungebatur praeterea pyrricha cum Dianae sacris. Amarynthi prope Eretriam omnium nobilissimum fuit pyrrichae certamen in celeberrimis Dianae feriis, ita ut honores eorum, qui bene de re publica meruerant, in illa renuntiati sint (Nilsson *Gr. Feste* 239, 2). Nilsson bellicam fuisse hanc Dianam ex militari totius pompae apparatu sumpsit (l. s.). Sed eandem invenimus saltationem Pagis in *Ἀρτέμιδος Σωτείρας* honorem institutam, quod nunc Sotelis inscriptione fere certum videtur[1]. Soteli a Pagensibus honores decernuntur cum aliis de causis tum quod (l. 14 sqq.) *ἀγόντω[ν]* (15) *ἁμῶν πυρρίχαν ἐ[πὶ τᾷ] θυσίᾳ τῶν Σ[ωτηρίων ἐποιήσ]ατο τὰν χοραγίαν μ[ηδ]ενὸς θέλοντο[ς εἰς] τοὺς διδασκά[λους καὶ τὸν κιθαρι]στὰν καὶ τὸν αὐλη[τ]ὰν τοῖς ἰδίοις δα[παν]άμασιν τοῖς τε [παισὶν τοῖς ἐπιλελεγ]μένοις*[2] *ἰς τὰν πυρίχαν* (sic!) *[ἐ]χοράγησε ἔλαιον λ[ευκ]ὸν ἐπὶ πάντα τ[ὸν χρόνον ὃν ἐμαν]θάνοσαν φιλανθρώπως τε αὐτοὺς ἐπ[ε]δέξατο ἐβουθύτ[ησέ τε τᾷ Ἀρτέμιδ]ι καὶ τῷ Διί κ. τ. ἑ.*; l. 25: *ἐν δὲ τᾷ ἑτέρᾳ ἁμέρᾳ τῶν παίδων εἰσπορευθέ[ντων εἰς τ]ὸ θέατρον καὶ* (*κατ* lapis: Wilhelm) *ἀγωνιζ[ομέ]νων ἐγλύκισε πάντας*; l. 27 sqq.: *[πολλά]κι τε μὴ ἀγόντων ἁμῶν τὰς πυρρίχας διὰ τὸ στενο[χωρεῖ]σθαι τὰ κοινὰ πράγμα[τα παρ]ὼν [ἐν] τῷ [συ]νεδρίῳ ἐπανγίλατο δραχμὰς Ἀλεξανδρή[ας] χιλίας διακοσίας κα[ὶ ἔδωκ]ε π[αραχρῆμα] ὅπως ἀπὸ τοῦ τόκου τῶν χρημάτων τού[των]* (l. 30) *ἄγηται ἁ πυρρίχα καθ'*

---

[1] IG VII 190. Nova lapidis parte inventa totum titulum denuo collatum proposuit et commentatus est Ad. Wilhelm *Oest. Jahresh.* X 1907, 17 sqq., cui supplementa fere omnia debentur. Idem tempus intra annos 65 et 57 a. Chr. definiendum esse demonstravit (l. s. 22 et *Beiträge zur gr. Inschriftenkunde* 114).

[2] Sic supplevi. *[τοῖς διδασκο]μένοις [[ις]] τὰν πυρίχαν* Wilhelm dubitanter. Sed *πυρρίχα* hic non saltatio est, sed caterva. Cf. *τὰς παρθένους τὰς ἐπιλεγείσας* Ditt. Or. Gr. 309, 9; cf. Or. Gr. 56, 67.

[ἕκαστ]ον ἐνιαυτόν. Verbis l. 45: ὅταν ἁ πυρρίχα ἰσάγηται apparet pyrricham non esse saltationem, sed chorum, puerorum catervam, similiter atque in ceteris huius temporis testimoniis, quae infra (59) componam. Mutata vero tempora senties, si cum Sotelis munificentia contuleris quae in XXI. Lysiae oratione de pyrrichae sumptibus narrantur. Qui enim illam habuit, modo octingentas (1), modo septingentas (4) drachmas in hanc liturgiam consumpsit. Soteria ad Ἀρτέμιδα Σώτειραν Pagis cultam (Paus. I 44, 4; cf. Blümner-Hitzig ad h. l.) rettulit Wilhelm, quod eadem saltatione in Dianae sacris Amarynthiis acta firmatur. Videmus altero feriarum die pyrricham celebratam esse. Praeterea pauca de citharista una cum tibicine adhibito dicenda sunt. Quem Wilhelm ad Woltersii verba *Arch. Jb.* XI 9 provocans cum Cretico citharae usu in bellis coniunxit. Cretensibus puerorum catervis accinisse tibias et citharam Ephorus tradit (Strab. X 483). Sed iam Homerus eandem fidium tibiarumque coniunctionem novit (Σ 495). Deliorum in sacrificiis saltationes fiebant ὑπ' αὐλῶι καὶ κιθάραι ([Luc.] salt. 16). Inde a Pindari temporibus vero hic accinendi modus vulgo in usu erat (v. Wilamowitz *Timotheos* 87).

Quodsi sensum huius pyrrichae quaerimus, discerni nequit, utrum fuerit bellica exercitatio an fertilitatis deae, quam fuisse Dianam constat, dicata (cf. infra 51 sqq.).

Praeterea vasculo Parisino[1] armatam saltationem in solis honorem indicari vidit Usener (*Rh. Mus.* IL 1894, 465)[2].

Neque tamen solis deorum feriis bellica saltatio servata est. Iam supra (30) Aristotelis testimonium attuli, quo apud Cretenses πρύλιν in funere saltatam esse commemorat. Eadem res narratur schol. Townl. Hom. Ψ 130: Ἀριστοτέλης φησὶν τοὺς

---

[1] *El. Cér.* II 114; *Ann. dell' Inst.* 1852 tab. F; Harrison *Themis* 200 fig. 51.

[2] Armati iuvenes una cum puellis saltarunt Cyrenae in Apollinis Carneis (Call. Ap. 85 sqq.). Apparet omnem iuventutem in dei honorem choreas duxisse. Arma bellicae pubis pulcherrima ornamenta sunt, nulla alia ratione adhibita atque in Panathenaeorum pompa. Similis fuerit Luciani ὅρμος (salt. 12; cf. Sittl *Gebärden* 226), sed quae refert de castis virginum motibus, animosis iuvenum, rhetoris inventionem sapiunt.

πρυλεῖς Ἀχιλλέως· τοὺς δὲ Ἀχαιοὺς τὸν νόμον εἰς Κρήτην κομίσαι· τῶν γὰρ βασιλέων κηδευομένων αὐτὸς προηγεῖται πυρριχίζων ὁ στρατός. Verba epitomatorem produnt, sed gravior inest offensio. Quos enim tunc temporis nosse potuerit Aristoteles praeter Lacedaemoniorum reges Graecos, nescio. De sua ipsius aetate vero eum verba facere docet praesens *προηγεῖται*. Qua de causa de illorum exequiis loqui videtur, quibus probe convenit sollemnis ritus (cf. Herod. VI 58). Eadem res traditur Hesychi glossa s. v. *πρυλεύσεις· ἐπὶ τῆι ἐκφορᾶι τῶν τελευτησάντων παρὰ τῶι* † *ἱερεῖ*[1]. In capulo Clazomenio (Murray *Terracotta Sarcophagi* tab. 2) videmus saltatores armatos, quos ad exequias recte rettulit Perrot *Hist. de l'art* IX 272. In cylice n. f. miles ante feretrum saltibus procedit (Daremb.-Saglio *Dict. d. ant.* II 1374 fig. 3340). Hinc Plato quoque in funere archontum suorum incedere iubet ante feretrum armatos iuvenes (legg. XII 947 c), sed iam saltationis in locum pompa successit. De huius consuetudinis ratione, ni fallor, iudicium nobis conceditur. In bellica saltatione armorum strepitus adeo primum locum obtinet, ut suo iure Romani bellicrepam eam vocaverint (Fest. Paul. 35, 3 M.; inde C. Gl. L. V 442, 57; 563, 4). Si vero ferri sonum pavores prohibere consideraverimus[2], vel pyrrichae officium in funeribus idem fuisse apparebit. Difficilius vero diiudicari potest, a quonam hac saltatione malum arceatur. Diversa enim in condendis mortuis fuere studia veterum, et ne revertentes vivos conturbarent (Rohde *Psyche* I² 23, 2), et ut animae ab omni periculo tutae mortis pace fruerentur. Mortui enim variis insidiis petuntur, ita ut vigilare apud eos usus fuerit (Apul. Met. I 21 sqq.). Alii non vivum quidem custodem, sed harundinem crepitantem ad caput mortui apponebant (Prop. IV 7, 25). Tumulo conditos decursione tutabantur (Vürtheim *Mnemosyne* XXXIV 1906, 73 sqq.; v. Domaszewski *Zwei röm. Reliefs, Sb.*

---

[1] *Παρὰ Αἰσχύλωι ἱερείαις* vel *παρὰ τῶι ἠριεῖ* M. Schmidt. Neutrum placet.

[2] Rohde *Psyche* I² 56, 2. II 77, 2; Cook *J. H. St.* XXII 1902, 12 sqq.; Wünsch *Hess. Bl. f. Volkskunde* III 66; Samter *Geburt, Hochzeit und Tod* 39 sqq., 58 sqq., imprimis 62 sqq. Saltationis armatae in mortui honorem peractae exemplum ex India affert Samter l. s. 112.

Heidelb. Ak. 1910, 4, 10). Quin etiam tympana in sepulcris abscondunt (Saglio ap. Daremb.-Sagl. *Dict. Ant.* I 1561; Pottier ibid. I 1697). Spartae rege mortuo *λέβητα κροτέουσι* (Herod. VI 58; Apollodor. ap. schol. Theocr. II 36)[1]. Consulto ea tantum congessi, quae cum armis vel crepitu coniunguntur. In quibus cum duos ritus mortuum tuendi causa inventos esse certum sit, de ceteris quoque idem valere verisimile est, ita ut hanc explicationem praetulerim alteri, de arcendis mortuis cogitandum esse, quam proposuit Robert (Preller-Robert *Griech. Myth.* I⁴ 458, 2)[2].

Mox tamen pyrricha in convivia ludosque descendit. Nec iam pueri, ne dicam viri, illam saltabant, nisi festis diebus, sed mulierculae. Quem morem solo Xenophontis testimonio (Anab. VI 1, 12) firmatum initiis quinti saeculi ut ascribamus, cogunt vascula, in quibus feminae pyrrichistae saepissime comparent[3].

---

[1] Herodotus quidem hoc fieri dixit, quo mortis nuntius propagaretur. Sed Apollodorus usum inter apotropaea numerat, et equidem malim in his theologo fidem habere quam historico. Sic etiam Cook *J. H. St.* XXII 1902, 15 sq. et Samter *Geburt, Hochzeit und Tod* 61 iudicaverunt. Illud vero Herodoto concedendum videtur, postea sonum pro nuntio acceptum esse; quod nemo mirabitur, qui quotiens in his aliae causae veteribus institutis superstruantur in memoriam revocaverit.

[2] Malum arcere videtur etiam pyrricha in nuptiis adhibita. Sed hunc usum posteriorum temporum duco, cum uno Stephani scholio in Aristotelis rhetoricae III 8 nitatur (Comm. Arist. XXI 2, 317, 21 sqq. Rabe): *πυρρίχη . . . ᾗ χρῶνται οἱ ἐν τοῖς γαμηλίοις παιδιαῖς παίζοντες μετὰ σπάθης.* Alio pertinet Apoll. Arg. IV 1155 sqq., ubi iuvenes in Medeae et Iasonis nuptiis armati concinunt hymenaeum. Si enim *αἴτιον* dare voluisset poeta, hoc expressis verbis suo more praedicaret.

[3] Congessit primus Stephani *Compte-R.* 1876, 160 sqq. Nonnulla addo:

1. antiquissimus est *σκύφος* Berolinensis n. f. quinti saeculi ineuntis (Inv. 3766), quem me accuratius examinare potuisse R. Zahnii debeo benignitati. Ab utroque latere cernitur tibicen, in quem conversae tres feminae Amazonum cultu, pro arcu tamen vel securi hastas gerentes, incedunt. Hederae foliis pictura circumdatur; sub ansis haedus vitibus ornatus; vites per totam picturam ornamenti gratia additae.

r. f.

2. pulchrae artis Stackelberg *Gräb. d. Hellen.* tab. 22. Mulier hasta scuto casside instructa brevissimo chitone ante tibicinem astat.

Mox vero pyrricha armis depositis thyrsos assumpsit, satyris quam militibus propior (Aristocl. ap. Athen. 631 a). Quam mutationem ut intellegamus, paulo longiore ambitu disputatio deducenda.

Fuere apud Graecos praeter Bacchi thiasum alii quoque dei, qui per prata silvasque vitam degere putabantur, Curetes et Corybantes dico[1]. Quae res tanta doctrinae mole, quam de illis tam veteres quam recentiores protulerant, obruta lateret, nisi benigna terra titulos, religionis, non theologiae testes nobis concessisset.

Curetes et Corybantes iam in Phoronide (Strab. X 471) et in Danaide (Philod. *π. εὐσεβ.* 42 G.) confunduntur. Nunc titulorum ope videmus antiquitus Corybantes Asiae, Curetes Cretae et vicinis insulis Doricis vindicandos esse. Corybantes ut melius cognoscamus, Erythraea inscriptione factum est, quam edidit v. Wilamowitz (*Nordion. Steine, Abh. Berl. Ak.* 1909, 23 sqq.). Ibi ut qui Corybantum sacra emerit, etiam *τῶι ὀργίωι τῶι Ἔρσης [καὶ . . .]όρης καὶ Φανίδος* intersit, conceditur. Apparet arte cum Corybantibus has deas coniungendas esse. De quarum natura hoc quidem constare videtur, trium dearum collegium, quarum una „Roris" nomine appellatur, camporum tutelam gessisse. Qua de causa Corybantum quoque similem esse naturam haud absonum videtur. Neque quam bene haec conveniant matris deorum asseclis quemquam fugit.

---

3. hydria Neapolitana (Heydemann *Mus. Naz.* 3232). Eodem cultu ornata pyrrichista inter alia mulierum exercitia.

4. *El. Cér.* II 80; Amelung *Ant. in Florenz* 235, 237; Wolters *Arch. Jb.* XI 1896, 9, 26. Deest scutum, cetera aeque atque in prioribus.

5. *El. Cér.* I 74; Sacken-Kenner *KK. Münz- und Antikenkab.* 199, 105. Crater. Femina armata ante sedentem tibicinem.

6. *Vas. d. Eremit.* 1889; *Compte-R.* 1876, 159. Deest scutum.

7. *El. Cér.* IV 31. Oxybaphon nunc Parisiis asservatum, quarti saeculi.

8. *Smlg. Santangelo* 281 Heydemann. In convivio.

[1] Coniungit Curetes et Satyros Hesiodus (frg. 198 Rz.); consimile esse illorum genus tradit Strabo (466 e Demetrio Scepsio). Nuper Curetes cum Nymphis coniungendos esse dixit E. Romagnoli (*Ausonia* II 1908, 152 sq.). Idem Kaibelium secutus (*G. G. N.* 1901, 515 sq.) eos phallicos esse deos contendit. Sed si Curetes Corybantesque non cum ceteris coniungas, sed, quae de eis tradantur, seorsim consideres, nullum testimonium huic sententiae favere videbis.

Quae tamen praeterea de his numinibus traduntur, nihil demonstrant (cf. Immisch *Rosch. Lex.* II 1 col. 1608). Sicut Corybantes cum deorum matre consociantur, Lycosurae prope *Δεσποίνας* aram armatus Anytus stabat nec non Curetes (Paus. VIII 37, 5 sq.). Plerumque in Cretensium inscriptionibus e horum daemonum caterva soli comparent Curetes. In duabus tamen Cyrbantes (haec forma vocis legitur sicut in titulo Erythraeo) cum eis coniunguntur. In utroque titulo foedus cum Hierapytniis inest (*G. D. I.* III 2, 5024, 63. 80; 5039, 14 et pleniore apparatu denuo ap. Deiters, De Cret. tit. publ., diss. Bonn. 1904, 19 sqq.). Accedit, quod Cyrbas e Rhodo advena Hierapytnae conditor vocabatur (Strab. X 472). Cyrba antiquum urbis nomen fuit (Steph. Byz. s. v. *Ἱεράπυτνα*).

In extremo igitur Cretae orientalis angulo Cyrbantes invenimus, a cetera insula absunt. Qua de causa suspicor eos de Asia Hierapytnam migrasse [1]. In ceteris vero oppidis Curetes soli in iure iurando una cum Nymphis extremo loco ponuntur: *ὀμνύω . . . Κώρητας καὶ Νύμφας καὶ θεὸς πάντας καὶ πάσας* (*G. D. I.* III 2, 5041, 14. 22; 5075, 76; cf. Deiters l. s. 27 sqq.). Apparet igitur quaedam inter Curetes et Nymphas affinitas similis ei, quam in Corybantum „orgio“ supra (41) animadvertimus. Cuius rei nonnulla alia quoque indicia deteguntur. Fatidici fuere Curetes (Hes. s. v. *Κουρήτων στόμα*; Zenob. IV 61; Diog. V 60; Apollod. III 18), quod idem de Nymphis traditur [2]. Similiter *Πρύλις* quoque, quem arma tulisse ipsum prodit nomen, Mercuri et Issae filius, *μάντις* fuit ([Plut.] prov. Al. 42; schol. Lycophr. 219). Exstabat praeterea fabula, qua Curetes e Iovis lacrimis de terra crevisse putabantur (schol. Ar. Vesp. 9; inde schol. Plat. Conv. 215 e), alii eos ab imbre genitos esse narrabant (Ov. Met. IV 282). Nescio an idem mythus indicetur in declamatione de primo ho-

[1] Cf. W. Aly *Kret. Apollonkult* 53, 1. Similiter *Ζεὺς Κρηταγενής* et *Κούρητες* in Asia Prienen usque propagabantur (v. Prott ad *Inschr. v. Priene* 186).

[2] Gruppe *Gr. Myth.* 829, 2, qui tamen non recte *νυμφολήπτους* huc revocavit, qui initio terrore, quem omnes fere dei agrestes incutiunt, capti dicebantur (Tambornino, De antiquor. daemonismo *RGVV* VII 3, 65), mox vero divini oris afflatu sacrati vates habebantur. Terrorem Corybantium noverunt antiqui (Tambornino l. s. 64); de Curetibus nihil tale narratur, quod nescio an casui tribuendum sit.

mine apud Hipp. ref. haer. V 7, quam alterius post Chr. saeculi esse demonstravit v. Wilamowitz (*Herm.* XXXVII 1902, 331 sq.), his verbis: *δενδροφυεῖς ἀνέβλαστον* (Curetes et Corybantes). Sic interdum cum Spartis coniunguntur, qui et ipsi de sulco creverunt (Steph. Byz. s. v. *Σκύλλιον· ἔνθα φασὶν ἀποθέσθαι τοὺς Κούρητας μετὰ Σπαρτῶν* [*Σπαρτιατῶν*: Lob.] *τὸν Δία*, cf. Lobeck, Aglaoph. 1146 sq.). Videtur hac fabula coniunctio quaedam cum segetum incremento indicari. Convenit denique unum, quod tempora tulit Curetum sacrum. Messenae quotannis certo die varia animalium genera eis comburebantur. Quod fecunditatis gratia factum esse docuit Nilsson (*Gr. Feste* 433; cf. ibid. 54), qui ex hoc ritu forsitan veram Curetum naturam intellegi posse dixit[1].

Omnem vero dubitationem exemit hymnus *κλητικός* in Iovem Dictaeum, quem Britanni nuper in vico Palaeokastro invenerunt (*B. S. A.* XV 339 sqq.)[2]. In quo paululum diutius morari decebit. Hymnum exeunte altero vel tertio p. Chr. saeculo incisum exemplo quarti a. Chr. saeculi deberi sumpsit ex sermonis numerorumque arte G. Murray (l. s. 365). Accedit alia causa. Saepius *ο* et *ε* scribitur, cum *ου* et *ει*, vel secundum Doricam dialectum *ω* et *η* exspectares. Quod fit in verbis *Ἀὸς* l. 21 (genetivus), *κὲς* passim, *βροτὸς* (24) et *ποντοφόρος* (34), quos huc pertinere arbitror, cum nulla Creticae dialecti vestigia inter communem quae vocatur Dorida appareant. Exemplum igitur hymni, cuius apographum tenemus, *ω* et *η* nondum novit vel non accurate distinxit. Quare hac quoque ratione idem fere tempus assequimur, quod Murray.

---

[1] „*Jedenfalls lehrt sie* (*die Zuteilung des Festes an die K.*), *dass die Korybanten* (immo Curetes) *den Vegetationsdämonen nahestehn konnten, wenn sie nicht gar solche waren. Darauf deuten noch ein paar schwache Spuren. Ihr Tanz war ein Regenzauber* (Gruppe *Gr. Myth.* 899, non recte, cf. infra 54), *daß sie δενδροφυεῖς heraufwachsen, deutet ebenfalls auf eine Verknüpfung mit dem Baumkult*" (l. s. 434).

[2] Egerunt de hoc hymno J. Harrison l. s. 308 sqq.; Bosanquet 339 sqq.; G. Murray 358 sqq.; Xanthoudidis *Κρητικὴ Στοά* III, cuius dissertationis notitiam A. J. Reinachio *Rev. d. ét. Gr.* XXIV 1911, 332 debeo; R. Wünsch *A. Rel. W.* XIV 1911, 552; Kretschmer *Glotta* III 305; J. Harrison *Themis* Cambridge 1912; W. Aly *Philol.* LXXI 1912, 463 sqq., dum plagulas corrigo, mihi innotuit.

Nam ne quis quarto saeculo antiquius carmen putet, obest dialectus, quae nulla Creticae originis vestigia habet.

Immo vel dissimiles vocales contraxit: *γάνους* (l. 2) *ἀγώμενος* (3). Ϝ inter vocales evanuit, adeo ut eas vel contrahere licuerit, siquidem recte Murray *κατῆτος* (23) ex *κατὰ Ϝέτος* ortum esse contendit (l. s. 360); *τεόν* (10), *βροτός* (24) ex epico sermone fluxere. Accedunt formae vulgares *κρέκομεν* (8), *ἀείδομεν* (10) pro *-μες*, *αὐλοῖσιν* pro Dorico *αὐλοῖς*. Haec omnia magis litterarum quam vitae Dorida indicant[1]. Interdum lapicida erravit, velut in *γάνοις* pro *γάνους* (3), *θόρι* pro *θόρε* (29).

Sic una restat vox magnis dubitationibus obnoxia, ipsius dei nomen *Κοῦρε*. Fieri enim potuit, ut in archetypo *Κορε* scriptum fuerit, quod imperatorum aetate nemo non per *ου* legisset. Sed epica vox in sollemni Iovis appellatione offendit. Accedit, quod *Κώρητες* in Creta per *ω* scribuntur non per *ου*.

Eodem fere deducimur historia vocis *κοῦρον*. In sermone vetustiore significat adulescentem; eadem res est in *κουρίζω* (Hom. *χ* 185; Hes. Theog. 347), *κουρίδιος*, *κουρότερος*, *Κούρη*, *Κόρα*, *κορεύεσθαι* (Eur. Alc. 313), *ὑποκουρίζεσθαι* iuveniliter blandiri (Pind. Pyth. 3, 19). Occurrit quidem *κοῦρος* apud Homerum pro infante, sed admodum raro, et ubique sexus notio accedit, ita ut puer non viro opponatur, sed puellae[2]. Nulla distinctione pro puero primus Euripides vocem adhibuit (Andr. 466), posteriores *κοῦρον* adulescentem puerumque promiscue dixerunt, quod in Callimacheo nuper omnibus in memoriam revocatum est Aetiorum fragmento (Housman

[1] Tamen monendum est, nusquam *η* pro *α* scribi, nam *εἰρήνα* (l. 26) recta forma est tam apud Pindarum (Schroeder, praef. § 23) quam in Bacchylidis papyro tradita, neque ullum formae *εἰράνας* exemplum in titulis antiquius est tertio saeculo exeunte (R. Meister *Sächs. Sb.* 1904, 28). In Cretensium inscriptionibus unum *εἰράνας* testimonium novi *G. D. I.* III 2, 5183, 26 (2. saec. a. Chr.). Cf. Valaori *Delph. Dial.*, *Gött.* 1901, 9.

[2] Omnino duos novi locos ante Euripidis aetatem: *Z* 57 sqq.: *τῶν μήτις ὑπεκφύγοι αἰπὺν ὄλεθρον χεῖράς θ' ἡμετέρας, μηδ' ὅντινα γαστέρι μήτηρ κοῦρον ἐόντα φέροι.* Videlicet ne in matris utero quidem virili sexui parcetur; mulieres non trucidantur. Eadem res est *Π* 7 *δεδάκρυσαι ἠύτε κούρη νηπίη*: parvae puellae in modum fles; voce *νηπίης* tantum hic locus distat ab altero *B* 872, ubi cum adulta virgine vir comparatur. Cf. Parm. frg. 17 D.; Emped. frg. 117, 1 D.

Class. Quart. IV 1910, 114; Puech *Rev. Ét. Gr.* XXIII 1910, 260, 1; Stuart *Class. Philol.* 1911, 304 sq.). Idem de κουρίζεσθαι valet (Call. h. Iov. 54; Dian. 5; Ap. Rhod. III 134). Tam Attica quam Ionica dialectus vocem κούρον, κόρον satis mature amiserunt, mansit in poesi ex Homero; pedestris orationis auctor unus Plato senex (legg. VI 771 e 785 a et saepius) eam usurpavit. Κόροι ὑμνῳ[δοί] *Oest. Jh.* VIII 166, 4, 13, κο[ῦ]ροι ibid. 168, 2, 5 archaismo debentur (imperatorum aetate). Sed mansit praeterea in doricis dialectis antiquo sensu. Lacedaemoniorum κῶροι comparent in VI. saec. inscriptione *G. D. I.* III 2, 4400, ubi Meister testimonia veterum composuit, quibus hi κῶροι pedites fuisse dicuntur. Proprio nomine igitur alloquitur Tyrtaeus personatus Lacedaemoniorum ἐνόπλως κώρως (Tyrt. frg. 15. 16. B). Κουρίδιος apud illos Apollo colebatur (Hes. s. v. e Sosibio). Iuvenes apud Achivos κοῦροι vocabantur teste Aristophane Byzantio (Et. Gud. 124, 14; Eust. 1788, 57; Nauck, Ar. Byz. 96). Κωραλίσκον Cretenses vocabant τὸ μειράκιον (Phot. s. v.; cf. Hes. s. v.).

Apparet igitur hanc vocem apud Dores iuvenem, imprimis iuvenem armatum significasse. Hinc Κώρητες quoque nomen acceperunt, vel hac re cum Nymphis coniuncti, quod *iuvenes* vocantur, sicut illae *puellae*. Iovem Curum non novimus, sed unus Therae colebatur ϙόρες (IG XII 3, 354. 355; IG XII 3, 371 Κόρας legendum esse vidit Hiller v. Gaertringen postea IG XII 3 suppl. 1311).

Iam totum hymnum propono:

Ἰὼ μέγιστε κοῦρε, χαῖρέ μοι,
Κρόνιε παγκρατὲς[1] *γάνους,*
βέβακες
δαιμόνων ἁγώμενος.
Δίκταν ἐς ἐνιαυτὸν ἕρπε καὶ γέγαθι μολπᾷ,
τάν τοι κρέκομεν πακτίσι

---

[1] In hac voce ut γ nasalem exprimeret, lapis sicut tabula editioni adiecta docet (tab. XX), ligaturam N (ter priori hastae adiuncto γ) et N (semel posteriori) adhibuit. Alia exempla huius scripturae, quam Britanni neglexerunt, non novi. Res tamen certa videtur, quantum quidem talia ipso titulo non inspecto affirmari possint.

μείξαντες ἅμ' αὐλοῖσιν,
καὶ στάντες ἀείδομεν τεὸν
ἀμφὶ βωμὸν εὐερκῆ. —
Ἰώ κ. τ. λ.
Ἔνθα γάρ σε παῖδα ἄμβροτον
ἀσπίδ[εσσι Κούρητες]
παρ Ῥέας λαβόντες πόδα
κ[ρούοντες ἀπέκρυψαν].
Ἰώ κ. τ. λ. (deest una stropha)
τᾶ]ς καλᾶς Ἀõς
Ἰώ κ. τ. λ.
Ὧραι δὲ βρύ]ον κατῆτος
καὶ βροτὸς δίκα κατῆχε,
[πάντα τ' ἄγρι' ἄμφεπ]ε ζῷ'
ἁ φίλολβος Εἰρήνα.
Ἰώ κ. τ. λ.
Ἄ[μιν θόρε κῆς δέ]μνια,
καὶ θόρε εὔποκ' ἐ[ς ποίμνια,
κῆς λάϊ]α καρπῶν θόρε,
κὲς τελεσ[φόρους βότρυς].
Ἰώ κ. τ. λ.
Κῆς] πόληας ἁμῶν θόρε,
κὲς ποντοφόρος νᾶας,
θόρε κὲς ν[έους πολ]ίτας,
θόρε κὲς Θέμιν κ[
Ἰώ κ. τ. λ.

Murrayi supplementa singula in apparatu non enumero. In eis partibus, quae bis saepiusve exstant, alterius vitia in altera correcta omitto. 3 *Κρόνειε* L(apis) bis. *παγκρατὲς γάνος* Cook et v. Wilamowitz ap. Harrison *Them.* 9, 4. 13 *αμορτον* L. 14 *ἀσπιδηφόροι Κούρητες* B(osanquet), *ἀσπίδεσσι Κούρητες* vel *ἀσπιδηφόροι τροφῆες* M(urray). 27 *δέμνια* X(anthudidis), *στάμνια* M. 28 *θορι* L. 30 *λήϊα* Britanni, *λάϊα* ego. 31 *σίμβλους* M, *αὔρας* X, *βότρυς* ego. 33 solito amplius spatium in initio strophae fuisse puto: [*θόρε κὲς*] *πόληας ἁμῶν* [[*θόρε*]] Britanni spatii explendi gratia. 35 suppl. B, *πολειτας* L. 36 *καλάν* M, *κλ*[*είτ*]*ην* B dubitanter.

Ipsum carmen ionicis numeris, qui tunc temporis maxima vulgi poetarumque gratia vigebant, conscriptum a choro ad Iovis Dictaei aram stante (l. 10) recitatum est. Quaternorum

dimetrorum strophae quinque dividuntur ἐφυμνίωι sive προΰμνιον illud vocare mavis, cum tam initio quam in fine carminis recitatum sit[1]. Iuppiter Curus invocatur, penes quem omnia fertilitatis dona sunt, qui incedit[2] deorum dux: Dictam veniat ad ferias quotannis celebratas[3], ut cantu se delectet. Iuppiter *Κοῦρος* cum Curetibus coniungendus est, illis potissimum eum viam praeire putaverim. *Δαίμονας* quos ducit, eosdem esse atque *θεοὺς τοὺς ἐν Δίκται*, per quos iuraverunt Itanii (*G. D. I.* III 2, 5058, 4), dixit Bosanquet (l. s. 352). Quod tamen vix verum est. Nam ibi *θεοὶ σύμβωμοι* invocantur et deis in Dictaeo monte respondent *θεοί*, *ὅσσοις ἐν Ἀθαναίαι θύεται* (l. 5 sq.). Sed nescio an recte in hymno Britanni omnes de Curetibus cogitaverint (Bosanquet l. s. 351; Murray 359); *δαίμονας* eos vocari in litteris Graecis ostendit J. Harrison l. s. 310. Eadem nunc Curetes mortales *δαίμονας* vocari dixit, quod *ἔνθεοι* essent (*Themis* 26), sed nusquam in Graeca lingua *δαίμονες* vocantur *θεόληπτοι*, sed potius *θεοί*. Curetes enim omnino non commemorari in hoc hymno, qui quasi eponymo eorum Iovi cantatur, satis mirum esset. Res prorsus certa videretur, nisi Iuppiter *Κρόνιος* vocaretur (l. 2), quod nomen a poetis tantum usurpatum docet, iam deum hominumque patrem Homericae poeseos Cretam quoque invasisse. Quam ob rem de omnibus quoque, quorum ille rex et pater est, deis cogitare possis; verisimilius tamen videtur Curetes accipere neque tantum tribuere uni verbo. Illud vero apparet sacerdotes, qui hymnum cantant, nullo modo esse ipsos Curetes. Omnino ne saltasse quidem eos certum est, l. 10 stare se expressis verbis testantur. Qua de causa restat prohymnium,

---

[1] Tamen prohymnio favet, quod in fine strophae primae post v. 11 paragraphus est in lapide. De paragrapho in lapidibus cf. A. Wilhelm *Beiträge z. gr. Inschr.* 161 sq.

[2] *βέβακες* intensivum est, quod vocatur perfectum, sicut Hom. *Z* 513; *X* 21.

[3] *ἐνιαυτός* semper fere in antiquioribus litteris certum anni diem valet. Cf. Prellwitz *Gr. Wb.*[2] 144. Sic nunc etiam Harrison *Themis* 183. Eodem modo dictum esse IG XII 3, 1340 *Ἡρῶισ]σαι καρπὸν νέον εἰς ἐνιαυτὸν ἄγουσι* me docuit Deubner, cf. *Themis* 417, 1. Proxime vero accedit Pind. paean. I 5 sqq. *ἰὴ ἰή, νῦν ὁ παντελὴς ἐνιαυτὸς Ὧραί τε θεμίγονοι ἄστυ Θήβας ἐπῆλθον.*

quod saltatum esse neque demonstrari potest nec refutari [1]. Voce *μολπῆς*, quae occurrit (l. 7), nihil efficitur. Nam quod addunt *μολπά, τάν τοι κρέκομεν πακτίσι μείξαντες ἅμ' αὐλοῖσι* praeclare docet, *μολπάν* de cantu fortasse citharae (de quo proprie usitatur vox *κρέκειν*) tibiis intermixto dici, non de saltatione [2]. Praeterea, quae de Curetum saltatione narrantur (l. 21—26), praeteriti temporis esse docent imperfecta l. 23. 24. Sed priusquam haec longius persequamur, quidnam sibi evenire exoptent, consideremus.

Cretes, si fidem laeserint, se ipsi devovent: *μήτε μοι γᾶν καρπὸν φέρειν, μήτε μοι γυναῖκας τίκτειν κατὰ φύσιν, μήτε πάματα* (e. g. Drerii *G. D. I.* 4952 c 1 sqq.) [3]. Eadem illa nunc a Iove petunt, nisi quod naves addunt et ipsa oppida, iuvenesque, qui quotannis cingulum assumunt, et *Θέμιν* deam. Quod facile intellegitur, cum etiam prisca Curetum saltatione *δίκαν* et *εἰρήναν* apud homines effectam esse videamus. Quo tempore haec verba concepta sunt, non minus rei publicae salus civiumque concordia sacerdotibus cordi fuit, quam hominum frugumque fecunditas [4]. Eadem fere iustis viris eventura canit Hesiodus *ἔ. κ. ἡ.* 227 sqq.:

τοῖσι (iustis) *τέθηλε πόλις, λαοὶ δ' ἀνθεῦσιν ἐν αὐτῇ,*
εἰρήνη δ' ἀνὰ γῆν κουροτρόφος . . .
232 *τοῖσι φέρει μὲν γαῖα πολὺν βίον, οὔρεσι δὲ δρῦς*
ἄκρη μέν τε φέρει βαλάνους, μέσση δὲ μελίσσας,
εἰρόποκοι δ' ὄιες μαλλοῖς καταβεβρίθασι,
τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσι.

Quaecumque igitur hominibus opus sunt ad felicem vitam agendam, hoc carmine Iovi mandantur. Sed iam quaeritur,

---

[1] Murray l. s. 359 ad. l. 10 annotavit: *they marched along like the Salii and then stopped and sang the hymn on the altar.*

[2] Cf. Eur. Bacch. 126 sqq.: *ἀνὰ δὲ βάκχια* (*βακχεία*: corr. apogr. Par.) *συντόνωι κέρασαν ἁδυβόαι Φρυγίων αὐλῶν πνεύματι.*

[3] Formulam omnibus Graecis communem fuisse satis notum est, cf. Aeschin. 3, 111; Herod. VI 139; Eupol. Dem. *Herm.* XLVII 1912, 283, l. 12 et persaepe.

[4] Sententiae, quam Harrison (*Themis* 515 sqq.) protulit, hanc *Θέμιν* esse anni ordinem, vel propter l. 24 *καὶ βροτὸς δίκα κατῆχε* assentiri nequeo.

quid sid *θόρε δ' ἅμιν ἐς δέμνια κ. τ. λ.* Murray vertit: *to us leap for full jars* e. q. s. (359). Num hoc quadrat? Curetes in mytho carminis circum Iovem infantem saltant, ipsum saltasse ne verbo quidem adumbratur; nunc vocatur, ut cantu sacerdotum se delectet[1]. Deinde ubicumque vox *τοῦ θρώσκειν* occurrit, saltu certo finem peti significat, nusquam saltationis quasi libera *πηδήματα.* Quare mihi quidem maxime placet Iovem invocari, ut insiliat frugibus, quasi compleat illas felicesque reddat praesentia sua. Memineris modo totiens apud tragicos Calamitatem vel *Δίκην* capiti infelicis insilire[2]. Quod etsi vix aliud quidquam erat quinto saeculo atque mera translatio, tamen initio proprio sensu acceptum est. *Θόρε* vero in singulis strophis ter repetitum sacra formula fuisse videtur antiquitus accepta. Quam quo sensu sacerdotes intellexerint, nescimus. Vetustis tamen temporibus Iuppiter vere novo ut insiliret hominibus frugibusque et fertilitatem afferret, invocabatur[3]. Iam luce clarius est, ni fallor, Iuppiter Curos et Curetes, qui ab eo segregari non possunt, quales fuerint dei. Quod confirmatur lapide nuper ad Gortynem[4] invento, quem iam Bosanquet attulit (*Mon. ant.* XVIII 1907, 346 n. 61 ed. de Sanctis), aetatis imperatorum: *᾿Ε]ρταῖος*[5] *᾿Αμνάτου Κώρησι τοῖς πρὸ κραταιπόδων ἀρὰν καὶ [χα]ρι[σ]τήριον. Κραταίπους* vox est Dorica pro bobus (*G. D. I.* III 2, 4998 I 13; 5072, b 3; „lex magna" Gortynia col. 4, 36; Pind. Ol. 13, 81), id quod iam de Sanctis annotavit. Apparet Curetes hoc nomen

---

[1] *Ζῆνα τύραννον ἐς χορὸν πρῶτα μέγαν κικλήσκω* Ar. Nubb. 564 sq.

[2] Aesch. Pers. 911 *ὡς ὠμοφρόνως δαίμων ἐπέβη Περσῶν γενεᾶι*; Soph. O. R. 263 *νῦν δ' ἐς τὸ κείνου κρᾶτ' ἐνήλαθ' ἡ τύχη*; Trach. 1026 sq. *θρώσκει νόσος*; Antig. 1345 *ἐπὶ κρατί μοι πότμος δυσκόμιστος εἰσήλατο*; cf. O. R. 1300. 1311; Antig. 1271 sqq.; inc. trag. fragm. 486, 4 N.² *δίκη τῶι δυσσεβοῦντι ἐνήλατο.* Sed etiam *Ἔρως ἐν κτήμασι πίπτει* Soph. Ant. 782. Similiter chorus precatur Aesch. Suppl. 692 *νούσων δ' ἑσμὸς ἀπ' ἀστῶν ἵζοι κρατὸς ἀτερπής.* Apud Platonem eodem modo *ἀκράτειαι καὶ λῦπαι προσπίπτουσιν* (legg. X 908 c).

[3] De adventu Iovis vocem nunc etiam Aly *Philol.* LXXI 1912, 471 accepit.

[4] In vico *῾Αγία Βαρβάρα, villagio a più di 10 km. a nord di Gortyna.*

[5] Nominis unum, quod praeterea exstat, integrum exemplum affert de Sanctis. Supplendum est fortasse *᾿Εφ. ἀρχαιολ.* 1892, 148, 35 l. 23: *᾿Ερ]ταῖος Κρής.*

non imperatorum aetate accepisse[1], qua iam evanuit Cretica dialectus, sed totam inscriptionis formulam (v. etiam *ἀρά* votum et *χαριστήιον*) ex antiquitate servatam esse. Fuere igitur Curetes, qui boum custodes vocabantur. Ac ne posteriores quidem verae deorum naturae prorsus immemores fuerunt. In trigesimo octavo Orphei hymno Curetes invocantur *ζωιογόνοι πνοιαί.* Etsi solita *μυθοκρασία* in carmine inest, vide tamen hos versus:

9 *γαῖαν κοναβίζετε ποσσὶν ἐλαφροῖς*
μαρμαίροντες ὅπλοις . . .
13 *τότε δή ῥα καὶ ἄνθεα πάντα τέθηλε·*
δαίμονες ἀθάνατοι, τροφέες τε καὶ αὖτ᾽ ὀλετῆρες,
ἡνίκ᾽ ἂν ὁρμαίνητε (*ἀνορμαίνωνται*: Bentley) *χολούμενοι*
[*ἀνθρώποισι,*
ὀλλύντες βίοτον καὶ κτήματα ἠδὲ καὶ αὐτοὺς
πιμπράντες (*πιμπλάντες*: Wiel)·
25 *ὡροτρόφοι φερέκαρποι ἐπιπνείοιτε ἄνακτες.*

Verum me iudice vidit, qui hunc hymnum composuit, sive antiquitus tradita ille recepit, sive Orphicae theologiae inventa secutus est.

Iam Curetum natura perspecta ad mythum explicandum accedamus. Saltationem daemonum cum natura eorum arte coniunctam esse exspectabis. In priore parte hymni narrabantur, quae hac saltatione quondam evenerunt. Dolemus in loco magnis lacunis deformato nihil pro certo affirmari posse, sed videntur, quae vv. 23 sqq. narrantur, iam ad Iovis adulti regnum referenda esse propter *κατήτος* l. 23[2]. Qua de causa hymno amplius uti nolo. Sed vel sic, quid sibi velit daemonum armatorum saltatio, intellegi potest. Quodsi homines saltare putant daemones armatos, hoc non sine causa eos fa-

[1] Hoc tempore, exeunte altero ineunte tertio saeculo, protracta esse Curetum sacra non tantum inscriptio s. s. et hymnus testantur, sed etiam ara, quam illis anno 170 p. Chr. Epidaurius sacerdos dedicavit (IG IV 996). Sic igitur explico Iovis Dictaei hymnum Palaecastri inventum esse. De religione Iovis in parvis oppidulis servata, cum in metropoli evanuisset, cogitavit Harrison *Themis* 3.

[2] Horas, certa anni tempora, primum Iovem fixisse etiam Alcman tradit (frg. 76 B.).

cere censent; si vero daemones illi naturae custodiam gerunt, etiam eorum saltationem frugum fertilitati inservire verisimile est. Si vere ineunte saepius ab hominibus institui saltationes armatas consideraveris [1], ut segetes tutarentur [2], vere autem Curetum sacra celebrari (Preller-Robert *Myth.* I[4] 135; Hepding *Attis* 132, 1), illorum quoque saltationem huc pertinere concedes. Sed dei, inquis, sunt Curetes, in ceteris exemplis vero homines saltant. Et Dictae in monte olim homines saltarunt: mythus Curetum *αἴτιον* est. Iam totius ritus ut ita dicam historica patefacta est. Initio ipsi armis saltantes pestes tecto segetibusque se arcere posse arbitrabantur. Deinde postquam deorum cultus feroces animos cepit, ipsos deos, qui nunc pecudum tutelam gerebant, hunc in modum saltare credebant, ipsi vero illos imitantes sacrum peragebant ritum. Tunc demum fabula de Curetum chorea circum Iovem infantem ducta tradi coepta est. Eodem modo, quae initio ipsi homines patrabant fertilitatis gratia, postea satyris ascribentes ipsi imitabantur daemonum personis induti. In Curetibus idem fuisse duco, modo ne hymnum nostrum ab armatis saltatoribus cantatum contendas, cuius rei ne umbra quidem in ipso carmine detegi potest. Sive enim evanuit hymni tempore usus, et homines, quod initio ipsi armis suis effecerunt, iam deorum opera fieri rati saltatione destiterunt, sive praeter hymnum aliae fuere feriarum partes, in quibus saltatio Curetum persona acta manebat: neque quae de Curetum natura neque quae de ritus ratione disputavi, mutantur [3].

Corybantum saltationi similem causam subesse in Magnae Matris asseclis verisimile est, sed testimoniorum inopia pro-

---

[1] Frazer *Golden Bough* III[2] 124 ann. Adde Harrison *Themis* 242.

[2] Frazer l. s. armatam quoque sicut omnem saltationem segetes promovere analogiae magia contendit, cum saltus frugum incrementum indicarent (cf. I[3] 137 sqq.). Sed neque arma neque crepitus sic explicari possunt. Quare, quam supra protuli sententiam, verisimiliorem duco.

[3] Iam antiquissimis temporibus Curetes armatos fuisse e similium numinum exemplis, quae supra collegi (42 sqq.) sequitur. Tamen si recte Milani (*Stud. e mat. di archeol.* I 1899, 20) barbatos daemones alatos in scutis Idaeis Curetes esse dixit, nihil obstat, quominus omnes huiusmodi deos arma una cum saltatione a mortalibus accepisse putemus. Sed hoc argumento nimis instabili supra consulto non usus sum.

bari nequit. De Ephesiaco Curetum collegio nihil fere scimus, etsi post ea, quae de sacerdotibus hymni disputavi, satis memorabile videtur, nullas eorum saltationes armatas commemorari (Strab. XIV 640); quodsi narrant (Strab. XIV 639) Curetes mythicos quondam circum Latonam parientem saltasse, ne Iuno eam animadverteret, hoc e Cretica fabula translatum esse apparet.

Illud vero titulorum auxilio lucrati sumus, quaecumque de Curetum Corybantumque natura praeterea a veteribus disputata sunt, irrita cadere. Magnum coniecturarum acervum nobis servarunt Strabo in decimo ex Demetrio Scepsio (frg. 61 Gaede) et Diod. V 65 sive ex eodem auctore sive ex Apollodoro illius copiis uso (Bethe *Herm.* XXIV 1889, 411).

Etiam quae nostris temporibus viri docti iudicarunt, refutantur. E quibus affero sententiam Maassii (*Aratea* 349), quam receperunt Robert (*Gr. Myth.* I 458, 2), Gruppe (*Gr. Myth.* 860, 8; 898, 6), Samter (*Geb., Hochz. u. Tod* 65). Et ipse averruncandi gratia saltationem inductam esse putat, sed in puerperio, ut mater simul et infans protegerentur. Sed Curetes plerumque circum Iovem infantem, rarius circum Rheam parientem saltant, ita ut appareat saltationem variis fabulae partibus adiungi, quo melius explicaretur. Quod vero Dactyli Idaei ex matris deum manu in puerperii dolore terram prendentis orti dicuntur (Metricus Ambros. Studemund, Anecd. Graecolat. I 224, 27 sqq.), aperte nominis explicandi gratia fictum est, neque Curetes et Dactyli eidem sunt. Nec mihi quisquam obiciat Latonae partum Ephesi, quem interpolatum esse ex Iovis fabula iam supra dixi. Omnino, si recte exposui *Κοῦρον* esse iuvenem, non puerum[1], quaeri potest, undenam quae de eius incunabulis narrantur, fluxerint. Primus Euripides in Bacchis (120 sqq.) eam, quam vulgo legimus, fabulam tradit. Sed exstabat narratio, quae hunc mythum cum anni cursu coniungebat: schol. Arat. 30, 1 p. 346, 17 M.: Corybantes, ait, *ἐπὶ ὅλον ἐνιαυτὸν τὸν Δία ἔθρεψαν.*

---

[1] Iovem Velchanium imberbem iuvenem in Phaestiorum nummis (Head, Hist. Numm.[2] 473) videmus. Iovem Dictaeum eodem modo depingi monuit Harrison *Themis* 514, 2.

A. J. Reinach Curetes circa Iovem lapidem saltasse coniecit, tonitrum scutorum sono imitantes. (*Les prêtres*) *pensaient* (*ainsi*) *à la fois propitier la force contenue dans la pierre céleste et se l'assimiler* (*Rev. des Rel.* LXI 1910, 229). Sed ut mittam lapidem sola coniectura e fabula de lapide a Saturno devorato effectum, longe alia fuisse Curetum vota hymnus nunc luce clarius testatur.

Diversa denique nuper Ioanna E. Harrison editioni hymni praefata (*B. S. A.* XV 307 sqq.) fusius repetivit in libro de Themide [1]. Contendit Curetes esse iuvenum coetum, saltationem vero initiandi ritum, quali apud plerasque gentes adulescentuli in virorum sodalicium reciperentur. Quod ut confirmaret, narrationes de Zagreo a Titanibus lacerato adhibuit. Euripides enim in Cretibus mystarum Iovis Idaei et Liberi Zagrei chorum induxit haec verba facientem (frg. 472 N.[2]):

> *καὶ νυκτιπόλου Ζαγρέως βούτας* (Diels: *βροντὰς* Porph.[2])
> *τάς τ' ὠμοφάγους δαῖτας τελέσας*
> *μητρί τ' ὀρείαι δᾶιδας ἀνασχὼν*
> † *καὶ* † (*μετὰ* v. Wilamowitz) *Κουρήτων*
> *Βάκχος ἐκλήθην ὁσιωθείς.*

Sed Euripidem, qui Zagrei et Curetum sacra coniungit, errasse patet. Quod ut demonstraretur, sufficeret Bacchum nusquam in hymno nostro commemorari. *Ὠμοφαγία* Iovis vero omnino non traditur; quod Harrison *Themis* 13 sqq. neglexit. Praeterea Firmicus Maternus (err. prof. rel. 6, 5), qui unus Zagreum Cretensem novit, trieterica fuisse eius sacra narrat, sicut ubique fere in Graecia, Curetum vero annuas celebratas esse ferias nunc liquido constat. Euripidis auctorem Epimenidem fuisse probabiliter coniecit Wilamowitz (*Hippolytos* 224, 1). Porro Orphicam doctrinam totum fragmentum sapere

---

[1] *Themis, a Study of the Social Origins of Greek Religion,* Cambridge 1912.

[2] Traditam lectionem defendebat Harrison (*B. S. A.* XV 317 = *Themis* 56, 1). Sed *τελέσας* activi, non medii vim habet, potes autem *δαῖτας* quidem *τελέσαι*, *βροντάς*, si minus ipse tonas, *τελεσθῆναι* tantum. *Βροντὰς καὶ δαῖτας τελέσαι* de eis dici posset, qui tam tonitrus quam cenam parant. Sed hunc sensum Euripidis versui inesse nemo contendet.

nemo non concedit (sic etiam Harrison *Themis* 52). Iuppiter Dictaeus et Zagreus nisi hoc uno loco non componuntur [1], et hanc *μυθοκρασίαν* non antiquitus traditam, sed posterioris aevi esse facile apparet. Denique *Κουρήτων βάκχος* quid sibi velit, non intellegimus; vocem praemissam *καί* syntaxin turbare monuit Wilamowitz (*Berl. Klass. Text.* V 2, 77, 1). Ille Curetes homines accipiens pro *καί μετά* posuit, ut mystae una cum Curetibus *βάκχοι* vocarentur. Possis etiam de lacuna ante *καί* cogitare servato textu. Sed utut haec sunt, Euripidis testimonium, quamquam omnium antiquissimum, erroris convictum est. Neque intellegeremus, qui Curetes illi armati iuvenes una cum Nymphis in sacramentum assumpti sint. Quare hoc quidem constare videtur, Curetum ritum non initiandi gratia inventum esse, sed ut homines pestem propellerent, fertilitatem tuerentur.

Unum praeterea exstare dicunt similis ritus exemplum. Cei armati in monte Sirii ortum exspectabant, ut aestus ardorem arcerent (schol. Apoll. Rh. II 498 = 526; Callim. *Ox. Pap.* VII 27 l. 33 sqq.[2]). Sed saltasse illos nullo verbo usquam traditur, ipsi vero ferro vim infuisse arcendi nullo strepitu, nulla saltatione addita docuit Rohde (*Psyche* I² 56, 2; cf. Rieß *Realenzykl.* I col. 50; Goldziher *Eisen als Schutz gegen Dämonen, Arch. Rel.-Wiss.* X 1907, 41 sqq.). Qua de causa Gruppe (*Gr. Myth.* 899, 4) non debuit repetere Roberti sententiam (*Gr. Myth.* I 458, 2) sacerdotes illos vel invitis testimoniis saltasse. Sed altera exstat armata saltatio, quae arte cum fructibus coniungenda videtur, *καρπαία*. Qua in re testis est longe uberrimus Xenophon in sexto anabaseos libro (VI 1, 7 sqq.): *μετὰ τοῦτο Αἰνιᾶνες καὶ Μάγνητες ἀνέστησαν, οἵ ὠρχοῦντο τὴν καρπαίαν καλουμένην ἐν τοῖς ὅπλοις. ὁ δὲ τρόπος τῆς ὀρχήσεως ἦν· ὁ μὲν παραθέμενος τὰ ὅπλα σπείρει καὶ ζευγηλατεῖ,*

[1] Quodsi Istrus Curetes „antiquissimis temporibus" Saturno pueros mactasse narrat (Porph. abst. II 56 = FHG I 424), hoc sibi ipse ex narratione de Iove servato finxisse videtur. Cf. Immisch *Rosch. Lex.* II 1, 1506.

[2] Callimachi verbis *πρηΰνειν χαλεπὴν Μαῖραν* nunc certum est, eos arcendi gratia montem ascendisse, non sicut Usener putavit, quo sidus salutarent (*Um das Gestirn, das in diesem Falle ja gar nicht feindlich war, mit der Ehre des Waffentanzes zu empfangen* Usener *Kl. Schr.* IV 189*).

πυκνὰ μεταστρεφόμενος (*δὲ στρεφόμενος X*), *ὡς φοβούμενος, λῃστὴς δὲ προσέρχεται· ὁ δ' ἐπειδὰν προΐδηται* (*προείδητε*: Athen. 15f), *ἀπαντᾶι ἁρπάσας τὰ ὅπλα καὶ μάχεται πρὸ τοῦ ζεύγους, καὶ οὗτοι ταῦτ' ἐποίουν ἐν ῥυθμῶι πρὸς τὸν αὐλόν. καὶ τέλος ὁ λῃστὴς δήσας τὸν ἄνδρα καὶ τὸ ζεῦγος ἀπάγει, ἐνίοτε δὲ καὶ ὁ ζευγηλάτης τὸν λῃστήν· εἶτα παρὰ τοὺς βοῦς ζεύξας ὀπίσω τὼ χεῖρε δεδεμένον ἐλαύνει.* Latius quondam haec saltatio vigebat, non in Thessalia tantum, sed etiam in regione coniunctissima, Macedonia dico, teste Hesychio s. v. *καρπαία· ὄρχησις Μακεδονική*, quod, cum inter *καρπεῖν* et *κάρπεσθαι* tradatur, aut suo loco motum videtur aut in *καρπε(ί)α* emendandum, quod fecit Sopingius [1]. Hunc ritum frugum gratia peractum esse nomen docet. Quae Xenophon describit nos mimum potius quam saltationem appellemus, sed inter haec veteres non sicut nos distinxisse notum est. *Καρπαίας* certamen apud Magnetes et Aenianes fieri solebat quotannis in serendo frumento. Nam non fortuitam esse inter multas electam hanc fabulam, quae tunc ante Graecos ageretur, vel Xenophontis ipsa verba docent. Quod enim modo hunc, modo illum victoriam tulisse ait, hoc vix viderat, cum illo die in tot saltationibus uni *καρπείαι* tantum temporis concessum fuisse non verisimile videatur. Sed plura sciscitanti Atheniensi hoc responderunt Aenianes. Quae illi cogitabant de frumenti periculis, ea mimo acta esse non mirabere, simodo quot similia exstent apud omnes gentes consideraveris; illud merito offendit, quod interdum vincebatur arator. Hoc omen pessimum eos non vitasse docet, ni fallor, iam eo usque antiqui usus obscuratum fuisse sensum ut merum ludum, non seria se agere crederent [2]. Neque tamen quisquam dubitare potest,

---

[1] *Καρπεῖος* forma legitima est a substantivo in *-ος* ducta, velut *οἰκεῖος*. Derivata in *-αῖος* ex Ionica dialecto congessit Bechtel ad *G. D. I.* III 2, 5295. In Thessalia quoque terminationem, quae est *-αῖος*, exstitisse docet *Πτολεμαῖος* : *πτόλεμος*. Hesychi glossa *καπρία· εἶδος ὀρχήσεως ἐνόπλου* (inter *καπράς* et *καπρίσκος*) vix ex *καρπία* vel *καρπεία* metathesi inter mutam et liquidam incertissima oriri potuit (cf. Brugmann *Gr. Gr.*[4] 159). Qui praeterea *καρπαίαν* commemorant, Phot. s. v. (= Suid.) et Max. Tyr. 22, 4a sq., e Xenophonte pendent.

[2] Wünsch benigne me admonet fortasse hanc consuetudinem cum alia dimicationum serie coniungendam esse, qua futuri eventum sciscitaban-

quin hic ritus olim institutus sit, ut segetes ab omni latrone tutas aestatis tempore in horreis condere possent.

Si nunc ad pyrrichae historiam reverterimus, paulo melius, ni fallor, eius mutationem intellegemus. Iam quinto saeculo ineunte nescioquis cum satyris pyrrichistas composuit. Quod apparet ex scypho severae artis r. f. picto, qui Ritsonae in sepulcro inventus est (*B. S. A.* XIV tab. 14 et p. 302). Duae figurae ansis separantur. Sed quoniam in se invicem obvertuntur, facile editorem secuti nos quoque eas coniungemus. Silenus laeva nebrida scuti instar protendens dextra hastam in phalli similitudinem formatam gerit. Corpus praeter caligas nudum curvatur, ita ut subdole aggressurus videatur. Simili gestu ab altera parte Amazo incedit et ipsa praeter breve femorum subligaculum nuda; hastae telum ad terram demisit adversario obviam proficiscens. Editor de dramate satyrico cogitavit. Saltasse Amazona illam non contendo[1]; at exemplum habemus facetae coniunctionis, quam vix suo Marte pictor induxit. Eodem tempore et sileni saepius pelta armati inducuntur (Pottier *Vases du Louvre* II G 73. 89. 93). Quos Pottier (l. s. 151) certaminis Bacchi contra Gigantes adiutores fuisse putat[2]. Neque tamen haec omnia sufficerent, cum pyrrichistae retinuissent hastam, Martialis usus insigne. Sed exeunte quinto saeculo, cum omnes musicae artes nova temptarent, pyrricha quoque funditus mutata est. Invehitur Aristophanes (Ran. 153) in Cinesiae pyrricham, quae tunc vulgi favore decantata videtur. Fieri potuit, ut ille modos dumtaxat novos inusitatosque invenerit, sed artis musicae et saltationis artissimam coniunctionem siquis considerarit, Cinesiam hanc quoque novasse putabit. Quid vero *διϑυραμβοποιῶι*

---

tur, sicut Galli (Liv. VII 10sq.) vel Germani (Tac. Germ. 10). E Graecorum usu conferas, quae composuit Usener *Arch. Rel.-Wiss.* VII 1904, 297sqq.

[1] Sed illud dignum annotatione eam neque arcum habere neque securim, quibus semper fere Amazones instructae sunt. Itaque feminis, quas supra (40, 3) enumeravi, propior est.

[2] Hinc explicanda Hesychi glossa *σίκιννις· ὄρχησίς τις στρατιωτική Σατύρων σύντονος*, quam frustra mutarunt Valesius (*σατυρική*) et L. Schwabe (Paus. et Dion. frg. 164, 1: *Σκάμων πρώτηι*).

propius, quam Bacchicam reddere saltationem, quae bellica fuit. *Ἡ δὲ καθ' ἡμᾶς πυρρίχη Διονυσιακή τις εἶναι δοκεῖ, ἐπιεικεστέρα οὖσα τῆς ἀρχαίας· ἔχουσι γὰρ οἱ ὀρχούμενοι θύρσους ἀντὶ δοράτων, προίενται δὲ ἐπ' ἀλλήλους καὶ νάρθηκας καὶ λαμπάδας φέρουσιν, ὀρχοῦνταί τε τὰ περὶ τὸν Διόνυσον καὶ* [*τὰ περὶ* del. Kaibel] *τοὺς Ἰνδούς, ἔτι τε τὰ περὶ τὸν Πενθέα* (Athen. 631 a ex Aristocle). Haec vulgo posterioris aetatis mores delineare creduntur, sed quinti saeculi exeuntis esse docet vasculum Berolinense nondum recte explanatum. Furtwängler (*Arch. Anz.* X 1895, 39) publici iuris fecit cratera eius formae, quae a campana vocatur (*Glockenkrater*), quem Peloponnesiaci belli temporibus adscripsit. Ante Bacchum in saxo sedentem, prope quem Amor astat, saltat puella Lyda veste insignis, salicum corona Caryatidarum more ornata. Columna templum indicat. Post columnam altera puella astat exspectans [1], tunica sine manicis induta, supra quam nebris pendet, laeva scutum gerens [2], dextra thyrsum. Furtwängler frustra hanc miram belli pacisque farraginem explicare studebat. Itaque puellam scutum saltanti reservare coniecit, ad Amazonum pyrricham apud Callimachum provocans (h. Dian. 240). Sed hanc finxit poeta, cum saltationis Ephesiae auctores vellet afferre Amazones neque ulla ei videretur decere Martis puellas nisi bellica saltatio (cf. etiam Nilsson *Gr. Fest.* 247). Neque nos, opinor, amplius quaeremus; optime conspirant Aristoclis (vel Aristoxeni ipsius) et pictoris testimonia. Furtwängler testimonium pyrrichae in Bacchi honorem saltatae desideravit: vel hoc exstat. Tei duo lapides inventi sunt, in quibus certamina a civibus *Διονύσωι καὶ τῶι δήμωι* exhibita enumerantur (CIG II 3089) [3]. In l. 7 commemoratur *χορηγὸς*

---

[1] Plane eodem modo *El. Cér.* IV 31 satyrus ante tibicinem barbatum saltat, post illum nuda astat puella, laevo scutum tenens, dextro cassidem, ipsa quoque saltatura, si satyrus pausam fecerit.

[2] Haesitavi interdum, num tympanon agnoscendum sit. Sed et Furtwängler scutum esse affirmavit et tympana paulo altius attollere solent. Quodsi puella, ut fere usus est, laeva manu inferius tympani labrum attingere vellet, bracchium haberet omnem modum excedens. Qua de causa scutum plane certum est.

[3] Tempus certius definiri non potest, sed orthographia (nulli 'itacismi',

πυρρίχης (*πυρρίκης* lapis) *καὶ παίδων αὐλητῶν*. In altera eiusdem temporis inscriptione (3090) munus dividebatur, *χορηγοὶ πυρρίχης ὁ δεῖνα, παίδων αὐλητῶν ὁ δεῖνα*. Sed fortasse ipsa verborum structura nos docet, haec ad eandem feriarum partem referenda esse, cum alioquin exspectes *χορηγὸς π. ὁ δ.*, *χορηγὸς παίδων ὁ δ.*; scilicet ad eiusdem tibicinis cantum et pyrrichistae et *παῖδες αὐληταί* (de significatione cf. Frei, De certam. thymel. 67) saltabant.

Pauca admodum scimus de Alexandrinae aetatis pyrricha. Bellicas saltationes novimus apud Syros, quas Macedonum quam Graecorum moribus verisimilius deberi dixi (supra 31). Ipsa vero pyrricha, bacchicum, non militare spectaculum iam dudum factum, in dies magis mutata sensit tempora.

Quam initio vix curaverant Graeci vestis elegantiam, ea nunc aeque ac in dramatis scaena primum locum obtinebat (Luc. Pisc. 36; Plut. ser. num. vind. 9 p. 554 b). Deinde e deorum feriis mox expulsa remansit Lacedaemoniorum tantum usu, qui tunc anxiosissime antiquitatis effugientes captabant umbras (Athen. 631 a). Mox, ut semper nova flagitare solet vulgi studium, non homines, sed bestiae bellicam, quae olim fuit, saltationem deducebant, simiae (Luc. Pisc. 36), elephanti (Plin. N. H. VIII 5), cameli (Babr. 80)[1]. Simiarum saltantium inventionem Lucianus expressis verbis Aegyptiis vindicat[2]. Cetera imperatorum aetati ascribenda sunt. Elephantos saltasse in Germanici ludis tradit Plinius (l. s. s.; cf. Ael. h. an. II 11 p. 39, 22 H.; Plut. de fort. 3 p. 98 e).

Omnino vox pyrrichae iam saltationem lascivam non unius hominis, sed chori significabat, nulla militaris originis ratione habita. Exempla huius generis in monumentis „Atticismi" quae vocantur, videmus (Hauser *Neuatt. Rel.* 7 n. 1; 24 n. 32). In alio eiusdem artis cratere pyrrichistae et satyrus coniunguntur (l. s. n. 31). Similia habemus, ni fallor, in

---

iota dativis semper adscriptum) tertium vel alterum a. Chr. saeculum indicant; cf. e. g. Dittenberger ad IG IX 1, 694 p. 155.

[1] Fabulam Babrio antiquiorem esse proverbium docet (Otto *Sprichwörter* n. 310).

[2] De simia Cleopatrae eandem narratiunculam refert Luc. apol. pro merc. cond. 5, sed ille solus hymenaeum ducit.

anaglypho alterius vel tertii p. Chr. saeculi (oculorum pupillae indicantur), quod in Villa Casali asservatur (Matz-Duhn III 3680), in quo feminae Cois vestibus indutae viris armatis mixtae saltant. Talia Veneris proelia simulato Marte edita describit Anthologiae Latinae epigramma (115, I 131 Riese). Et cum cordacis memoria illis temporibus obsoleta esset, pyrrichae nomine in explicanda hac voce utebantur: *κόρδαξ εἶδος ἀπρεποῦς καὶ αἰσχρᾶς ὀρχήσεως παραπλησίας τῆι πυρρίχηι* (schol. Luc. Prol. 1 p. 9, 5 sqq. R.). Eodem sensu Plutarchus (Sull. 13, 3) Aristionem litteratorem *πότοις μεθημερινοῖς καὶ κώμοις χρώμενον καὶ πυρριχίζοντα καὶ γελωτοποιοῦντα πρὸς τοὺς πολεμίους* in obsidione Athenarum superbiam vesanam demonstrasse narrat. Optimi pyrrichistae in Asia inveniebantur[1], unde Gaius imperator (Ios. Ant. Iud. XIX 104; Dio Cass. LX 7, 2; cf. Suet. Cal. 58) et Claudius (Dio Cass. LX 23, 5) selectos saltatores arcessiverunt. Eadem causa fuit Caesari, cum Asiae regios pueros pyrricham saltare in triumpho iuberet (Suet. Caes. 39). Ephesi eam vulgi favore floruisse tradit Philostratus (Ap. Tyan. IV 2 p. 125, 28 K.). Sed plerumque servi servaeque in grege pyrrichistarum fuerunt, velut Nais illa, Caesaris verna, quae comparet CIL VI 3, 10141 (Dessau 5261). Fuit „ex numero pyrriche". Scilicet vox pyrrichae illa aetate non saltationem tantum significat, sed etiam catervam (Suet. Nero 12); cf. supra 38. CIG II 2758 F col. II (Aphrodisiade) quot denarios unusquisque actor in ludis acceperit, narratur:

χοροκιθαρῳδεῖ (*δην.*) *φ΄*
χοραύλῃ (*δην.*) *ψν΄*
κιθαρῳδῷ (*δην.*) *͵αφ΄*
πυρρίχῃ (*δην.*) *φ΄*
σατύρῳ (*δην.*) *ϱν΄*

Apparet, quam vilis pretii tunc fuerit hic ludus; tot accipit totus chorus denarios quot unus chorocitharoedus; nam *πυρρίχηι* ne pro *πυρριχιστῆι* accipiamus, dissuadet tam gram-

[1] Cf. Friedländer *Sittengeschichte* II^{8} 468 sq.

matica quam ipsius saltationis natura. Igitur hoc exemplum ceteris, ubi pyrricha catervam valet, accedit[1].

Ubique fere eodem modo apud huius aevi scriptores pyrricha describitur. Pueri puellae, maxima turba, vestibus purpureis candidis croceis insignes, concursabant, ita ut varii colores summa arte in figuras compositi spectaculum praeclarum exhiberent (Fronto ep. I 5 p. 12 Nab.). In alias deinde aliasque figuras quasi diffluentes semper novas formas oculis spectantium offerebant, donec tubae signo[2] finis indicabatur (cf. praeter Front. l. s. etiam Luc. Pisc. 36; Plut. ser. num. vind. 9 p. 554 b; Apul. Met. X 29). Apparet in his omnibus chori esse primas partes, qua re ut quae maxime diiungitur a pantomimo, in quo singuli artifices interdum soli (Plut. quaest. conv. 711 f) certum fabularum argumentum motibus expresserunt. Neque obstant Suetoni de pyrricha verba (Ner. 12): „item pyrrichas quasdam e numero epheborum (exhibuit), quibus post editam operam diplomata civitatis singulis optulit". Sed pergit Tranquillus: „inter pyrricharum argumenta taurus Pasiphaam ligneo iuvencae simulacro abditam iniit, ut multi crediderunt. Icarus primo statim conatu iuxta cubiculum eius decidit." Ac primum quidem Icari fabula, quae uno[3] vel duobus actoribus nitatur, in pyrricha offendit. Sed etiam Pasiphaae incesti amores cum „epheborum pyrricha" vix coniungi possunt. Qua de causa nescio an haec omnino non cohaereant, et pyrrichae vox ex antecedentibus repetita sit scribae socordia; equidem mallem reponere „inter ⟨fabul⟩arum argumenta". Quae tamen plane certa non sunt; nam Aristocles pyrrichis tradit Liberi expeditionem Indicam et Penthei sortem actam

---

[1] Illud quoque in hoc titulo memoria dignum pyrricham excipi a satyro, cui cum 160 denarii tantum solvantur, nescio an unus fuerit sannio. Sed σάτυρος quoque collectivo sensu usurpari potuit, cum σάτυροι apud posteriores satyricum drama valeat. IG VII 540, 11; Michel *Rec.* 901, 8; cf. v. Wilamowitz *Neue Jahrb.* XXIX 1912, 467.

[2] Hoc expressis verbis Apuleius (Met. X 29) comprobat: „ubi discursus reciproci multinodas ambages tubae *terminalis* cantus explicuit, aulaeo subducto et complicitis sipariis scaena disponitur." Errat igitur Friedländer (*Sittengesch.* II[8] 469), qui etiam Paridis iudicium, quod sequitur (X 30 sqq.), pyrricham putavit.

[3] Cf. etiam, quae de homine illo Dio narrat, or. 21, 9, II 268, 20 Arn.

esse (631 a); etsi in utraque fabula chori sunt primae partes. Quodsi recte Rohde Heraclidis pyrrichas (Diog. Laert. V 93) salticas fuisse fabulas coniecit (*Kl. Schr.* I XX 2), sicut pantomimo (Ov. Trist. V 7, 25; Iuv. 7, 87), pyrrichae quoque certum argumentum a poetis componebatur. Praeterea hermeneumata Einsiedlensia (C. Gl. L. III 240, 11) servarunt glossam πορκιστής pantomimus[1], quod in πυρριχιστής emendandum esse apparet. Et aeque atque in Penthei fabula saepius choro actores oppositi esse videntur. Quo facto utebatur Romanorum crudelitas, quae omnia polluit spectacula, ut taetra voluptate in puniendis criminibus frueretur. Capitis damnati pulcherrimis vestibus amicti in scaenam producebantur saltaturi, mox flagellis caesi flammis e purpurea illa veste subito erumpentibus absumebantur (Plut. ser. num. vind. 9 p. 554 b)[2]. Romanorum igitur tempore pyrricha pantomimi exemplo interdum argumentum accepisse videtur. Hoc ludo tunc aeque ac gladiatoriis muneribus vulgi favorem captabant (Plut. reip. ger. 5 p. 802 d). Nec servi tantum ei destinabantur et capitis damnati, sed interdum etiam liberi poenae nomine coacti sunt, ut populi voluptati se darent, unde iure consulti quaesiverunt, num maxima capitis deminutio cum hac ignominia coniuncta esset (Ulp. Dig. 48, 19, 8 fin.; cf. Mommsen *Strafr.* 955,5). Primis principatus temporibus tamen Claudius (Dio Cass. LX 7, 2) et Nero (Suet. Ner. 12) saltatoribus civitatem condonarant.

Sed denuo significationem mutavit pyrrichae vox. Inde ab Alexandri Magni temporibus antiquum bellicae saltationis sensum totum fere deposuerat. Vix doctissimus quisque de Lacedaemoniorum exercitationibus narrabat. In Plutarcho uno loco tantum pyrricha antiqua significatione legitur (Quaest. conv. 9, 15 p. 747 b). Sed inde a tertii saeculi initio adhibetur pro rythmico militum incessu. Iulianus Caesar factus „artem modulatius incedendi per pyrricham“ discit (Amm. Marc. XVI 5, 10); scilicet non lascivia severissimus homo ad novum officium

---

[1] Cf. herm. Monac. ibid. 172, 56: porchristis (sic!) pantomimus.

[2] Cf. Mommsen *Strafrecht* 925. De tunica funesta cf. Nipperdey ad Tac. Ann. XV 44.

se praeparabat, sed omne militis servitium addiscebat[1]. Hanc saltationem inter ceteras artes militares praeclare nosse Constantium tradunt Iulianus ipse (or. 1 p. 13, 4 Hertl.) et Themistius (or. 1 p. 2a). In exercitiis, quae Narses militibus imposuit, fuit *πυρρίχην τινὰ ἐνόπλιον*[2] *περιδινεῖσθαι* (Agath. II 1 p. 64, 3 Bonn.). Revera huic aetati saltationem militarem nihil aliud esse, nisi *ἔνρυθμον* militum incessum probatur Vopisci vita Aureliani (6, 4sq.): tot ipse imperator occidisse fertur „ut etiam ballistia pueri et saltatiunculas ⟨in⟩ Aurelianum tales quibus⟨dam add. Peter⟩ diebus festis militariter saltitarent: mille mille mille ⟨mille mille⟩ decollavimus“ e. q. s. Versus quadratos, quales in Aurelianum pueri cantant, milites in triumphis iactare solebant (Suet. Caes. 49). Quos ad itineris modum accommodatos esse constat. Militaris igitur Vopisci saltatio nihil aliud est nisi militaris incessus. Quod quam bene ad vocis pyrrichae usum supra explanatum quadret, neminem fallit.

Neque causa, cur denuo pyrricha cum armis coniuncta sit, procul abest. Atticistae altero p. Chr. saeculo vel in hac voce antiquum sensum revocare studuerunt (Luc. dial. deor. 8 et saepius). Sic auctor *π. τελείου λόγου*, quo facetior videare et plus scire quam ceteri, in pugnae descriptione ut de *ὁπλιτευόντων πυρρίχηι* loquaris, suadet (Rhet. Gr. III 580,7 Walz). Quin etiam denuo ad vitam eam revocare studuit Hadrianus imperator, siquidem recte crebras militares pyrrichas exhibuisse perhibetur (Spart. Vit. Hadr. 19, 8). Sed qualis fuisset veterum saltatio, nemo iam sciebat. Qua de causa vocem ad militarem incessum rettulerunt[3], quod eo facilius evenire potuit, cum saltandi incedendique fines veteribus non quemadmodum nobis constarent.

Lasciviens vero illa pyrricha mox una cum ceteris spectaculis exceptis pantomimo et gladiatorio ludo exolevit. Sic

---

[1] Cf. Veget. epit. rei milit. I 9: „primis ergo meditationum auspiciis tirones militarem exercendi sunt ad gradum.“

[2] Sic Lugd. et Suid. recte; Rehdigeranus glossam *ὄρχησιν* addidit.

[3] Herodianus etiam de equitatus decursione circum rogum *πυρριχίωι δρόμωι καὶ ῥυθμῶι περιιέναι* dixit (hist. IV 2, 9). Cum Troiae lusu iam Suetonius pyrricham coniunxisse videtur (Serv. Aen. V 602 = Suet. frg. 197 Reiff.).

factum est, ut longo cursu expleto pyrricha rediret, unde profecta erat, ad arma.

Haec est pyrrichae historia, quam unam ab antiquissimis temporibus usque ad exitum imperii Romani prosequi licet. Initio ab inculta mente auxilio contra hostes terroresque arcessita mox belli exercitatio, pacis ornamentum facta est. Omnibus deinceps Graeci genii mutationibus esse applicuit. Paulatim emollita in ludum lasciviamque abiit. Alexandrinae aetatis formam Romani acceperunt, qui lautitias addiderunt, ludum lepidum foeda crudelitate temerarunt. Illa quoque sensit pantomimi dominationem, qui tunc unus varia Graecae scenae genera in se receperat. Denique nihil nisi nomen sensu cassum manebat exeunti imperatorum aevo. Sed ne hodie quidem plane evanuit vox pyrrichae, vetustae virtutis monumentum[1].

---

[1] Tsacones, Lacedaemoniorum progenies, habent saltationem, quae *πυρρίχιε* vocatur, quam sic describit *Θ. Οἰκονομίδης*: *Χορευόμενος μόνον ἐνταῦθα* (in Tsaconia). *Οἱ χορευταὶ* (viri mulieresque) *ἀπὸ τῆς ὠλένης συγκρατούμενοι προτάσσουσι τὸν ἀριστερὸν πόδα καὶ ὑψοῦντες καὶ καταβιβάζοντες αὐτόν, ἔχοντες δὲ τὸν δεξιὸν ἀκόλουθον, συγχρόνως ἀποτελοῦσι θαυμάσιον ῥυθμόν* (*Θεόδ. Οἰκονομίδης, Γραμματικὴ τῆς τζακονικῆς διαλέκτου.* Athenis 1870, 52, 1). Habes motus, quos Romani tripudium, nostri *Kiebitzgang* vocant. Ceterum hoc testimonio efficitur, quam Pouqueville describit pyrricham (*Voyage en Morée etc.* I 275), nomen suum debere docti viri ingenio. Idem cadit in ceteros, qui initio undevigesimi saeculi pyrricham se vidisse affirmarunt, bellicae saltionis specie decepti. E quibus affero poetam Britannum:

You have the Pyrrhic dance as yet,
Where is the Pyrrhic phalanx gone?

(Byron *Don Juan*, *canto* III 86, 10; cf. ibid. 29).

Caput IV

De civium chorea sacra

Civium choreas ubique in colendis deis intercessisse apud veteres liquido constat. Qua de causa, cum qui de Graecorum feriis egerunt, testimonia singula tam sedulo composuerint, ut vix multa addi possint [1], in sequenti capite non quaecumque de choris in deorum feriis adhibitis narrantur, denuo singulatim proponam, sed in universum de omnis sacrae choreae ratione et generibus disseram.

Quanti fuerit saltatio in Graecorum sacris nescio an luculentissime usu demonstretur, qui adhuc fugisse videtur viros doctos: omnis fere sacrificii pars fuit chorea [2].

---

[1] Pleraque in libris Mommseni (*Feste der Stadt Athen*) et Nilssonii (*Griech. Feste*) enumerantur. Addas saltationem puellarum in Minervae honorem Spartae actam (Eur. Hel. 1465 sqq.). Lusis fuisse feminarum choreas Dianae sacras Bacchylidis carmine decimo (X 110 sqq.) efficitur, qui causam feriarum refert. Dianae Alpheaeae Telesilla composuit carmen (Wenzel *Realenzycl.* I 1632; Herzog *Philol.* LXXI 1912, 15), quod Wilamowitz in *ἐπιφανείαι* deae cantatum esse dixit (*Textgesch. d. Lyr.* 9, 2; cf. tamen Herzog l. s.). Hymnum in Iunonem scripsisse Sappho testatur auctor epigrammatis A. P. IX 189 (Welcker *Kl. Schr.* I 112), quod cur vulgo ad *καλλιστεῖα* referatur, (Nilsson l. s. 57, 2), nulla causa est; cf. etiam Wilamowitz *Sappho u. Sim.* 12, 1. Pervigilium Dianae in Cithaerone Euripides novisse videtur (Phoen. 234. 802). Saltationem nocturnam in Tauropoliis nuper apud Menandrum invenimus (Discept. 255 sqq.). Parparonia, de quibus iam antea narrabat Hesychius s. v. *Πάρπαρος· ἐν ὧι ἀγὼν ἤγετο καὶ χοροὶ ἵσταντο*, resurrexerunt in nova parte tituli Damononis *B. S. A.* XIII 174 sqq. = Solmsen, Inscr. gr. ad inl. dial. sel.[3] 19, 44. Sacri saltatores Tegeae comparent *B. C. H.* XXXVI 1912, 366.

[2] Paeana ad aram cantatum esse cum saltatione annotavit iam Fairbanks *A Study of de Greek Paean* (*Cornell Stud.* XII 1900) 53; cf. etiam Crusius *Philol.* LIII *Ergänzungsh.* 60.

Erythris in Apollinis et Aesculapi ara communi praescribitur (v. Wilamowitz *Nordion. Steine*, *Berl. Abh.* 1909, 41 l. 33), *ὅταν τὴν ἱρὴν μοῖραν ἐπιθῆι, παιωνίζειν πρῶτον περὶ* (35) *τὸμ βωμὸν τοῦ Ἀπόλλωνος τόνδε τὸμ παιῶνα ἐστρίς*. Sequitur notissimus paean in Aesculapium, qui etiam in Atticis Aegyptiacisque titulis inventus est (Plaumann *Ptolemais in Oberäg.*, *Lpz. hist. Abh.* fasc. 18, 91 sqq.). *Παιωνίζειν* in hac inscriptione non de solo cantu, sed de saltatione accipiendum, verbis *περὶ τὸν βωμόν* demonstratur. Epidauri *ἀοιδοί* unicuique sacrificio interfuerunt (IG IV 914, 12). Saltasse illos antiquis temporibus perquam verisimile est [1]. Huc Sapphus quoque versus rettulerim frg. 54 B. *Κρῆσσαί νύ ποτ' ὧδ' ἐμμελέως πόδεσσιν ὤρχεῦντ' ἀπαλοῖσ' ἀμφ' ἐρόεντα βῶμον.* Sic Megarenses promittunt se Apollinem celebraturos *τερπομένους . . . παιάνων τε χοροῖς ἰαχῆισί τε σὸν περὶ βωμόν* Theogn. 779. In Iphigenia Aulidensi cum Agamemno antequam nuptiae celebrarentur, sacrificium quoddam praesente filia peragendum esse simulasset, illa: *στήσομεν ἄρ' ἀμφὶ βωμόν*, inquit, *ὦ πάτερ, χορούς* (Eur. I. A. 676). Postea vero puellas in sua morte saltare iubet (1480): *ἑλίσσετ' ἀμφὶ ναόν, ἀμφὶ βωμὸν Ἄρτεμιν, τὰν ἄνασσαν Ἄρτεμιν* (cf. 1467). Sic Apollonius Rhodius quoque saepius Argonautas circum aram choreas instituisse refert (I 536 sqq.; II 701 sqq.). Callimachus vero *βωμὸν πέρι κυκλώσασθαι* de omni saltatione dixit (Dian. 267). Neque grammaticorum testimonia plane desunt: *κέκληται δὲ ἡ μὲν στροφή, καθά φησι Πτολεμαῖος ἐν τῶι περὶ στατικῆς ποιήσεως διὰ* ⟨*τὸ* addidi⟩ *τοὺς ᾄδοντας κύκλωι κινεῖσθαι περὶ τὸν βωμόν* (Boisson., An. Gr. IV 459). Cetera eiusdem doctrinae testimonia, quam Claudio Ptolemaeo deberi dixit, Crusius congessit (Comment. philol. in Ribb. 9 sqq.). Similia praeterea traduntur apud Anonymum Ambrosianum (Studemund, An. Graecolat. 222, 8 sqq.) et Isidorum Hispalensem (orig. VI 19, 5). Quam arte omni Graeco homini sacrificia saltationesque coniuncta visa sint, Plutarchus docet [2].

---

[1] Praeterea hanc saltationem Kaibel in Rhodiensi inscriptione (IG XII 1, 892) restituebat, cuius lectioni, utpote quae nimis a traditis litteris recederet, iure fidem derogavit L. Ziehen (leg. sacr. II 1 n. 149).

[2] *Θυσίας μὲν γὰρ ἀχόρους καὶ ἀναύλους ἴσμεν, οὐκ ἴσμεν δὲ ἄμυθον οὐδ' ἀψευδῆ ποίησιν* (Plut. aud. poet. p. 16 c).

Longior fui in exscribendis testimoniis, quo clarius appareat omnia haec eundem usum spectare. Illud quoque, ni fallor, assecutus sum, sollemnem sacrorum partem fuisse hanc saltationem, neque decorum dumtaxat additamentum (id quod sumpsit Stengel *Kultusaltertümer*² 103). Iam vero eo deferimur, ut, quam late hic usus patuerit, quaeramus. Ac primum quidem Homerus eum non novisse videtur, qui in tot sacrificiis describendis nullum ei locum concesserit. Deinde omnibus, quos attuli, locis de victimis caesis agitur, ita ut *ἄπυρα*, quae simpliciore apparatu peracta esse consentaneum est, etiam hoc ritu caruisse videantur [1]. Convenit, quod in titulo Thasiaco (IG XII 8, 358 a) Apollini et Nymphis sacrificia fieri paeane omisso constituitur. Nymphis *νηφάλια* sacrificabantur vel *ὁλόκαυτα* utpote deabus cum terra coniunctis. Eandem esse causam, cur paean ab earum religione absit, iam dudum cognitum est (Stengel *Opferbräuche* 181). Praeterea numqua fuerit exceptio, ignoramus.

Neque qua sententia ducti veteres talem saltationem instituerint, multum quaeremus. Quanti fuerit in omni sacrificio cavendi studium, ne infelix omen actionem perturbet irritamque reddat, notum est. Linguis ut faverent, ineunte sacrificio imperavit praeco; cymbalis concrepuisse Cycicenos, ne dissonus lugentium clamor sacra perturbaret, scholiasta Apollonii Rhodii dixit (schol. Ap. Rh. I 1134). Sic Agamemno iubet *στόματος καλλιπρώιρου φυλακᾶι* (*φυλακὰν* : Blomfield) *κατασχεῖν φθόγγον ἀραῖον οἴκοις* (Aesch. Ag. 235). Eadem me iudice causa erat, cur aram circumducta chorea quasi ab omni malo defenderent. Similem ritum in Ambarvaliis, in decursione et saepius adhibitum esse, ut malum arcerent, notius est, quam quod multis verbis egeat (Vürtheim, Mnemosyne XXXIV 1906, 73 sqq.; Wissowa *Rel. u. Kult. d. Röm.*² 142 sq.; 390, 5).

Verisimile est non in omni sacrificio choros magnos saltasse, sed vulgo paucos tripudiantes circum aram religioni satis fecisse. Lautiorem usum Deli fuisse novimus, ubi vir-

[1] Paean in libationibus procul dubio saltatione caruit: lex cantorum Milesiorum (Solmsen, Inscr. sel.³ 48, 13): *κρητῆρας σπενδέτω αὐτὸς καὶ παιωνιζέτω*, cf. Aristoclem (Athen. 631 d) *τὸν παιᾶνα δὲ ὁτὲ μὲν, ὁτὲ δ' οὔ* (*ὠρχοῦντο*)

gines Deliades uni saltationis muneri incumbebant. Audias Lucianum personatum (salt. 16): *ἐν Δήλωι δέ γε οὐδὲ αἱ θυσίαι ἄνευ ὀρχήσεως, ἀλλὰ σὺν ταύτηι καὶ μετὰ μουσικῆς ἐγίγνοντο· παίδων χοροὶ συνελθόντες ὑπ' αὐλῶι καὶ κιθάραι οἱ μὲν ἐχόρευον, ὑπωρχοῦντο δὲ οἱ ἄριστοι προκριθέντες ἐξ αὐτῶν.* Quae Lucianus de pueris refert, num vera sint, admodum dubito; nullos enim pueros Deli novimus, sed virgines. Quarum saltationem circum aram ductam fuisse adhuc tituli docent. Quotienscumque enim in rationibus Deliis chorus comparet, ei praebentur *λαμπάδες* et *ῥυμοί* et *ξύλα* vel *κληματίδες* (*B. C. H.* XIV 1890, 500). Faces nocturna sacra indicare in propatulo est. Sed quomodo *ῥυμοί* et *κληματίδες* interpretanda sint, adhuc disceptatur. Homolle (*B. C. H.* XIV 1890, 500) *κληματίδας* ramos putavit, quos in vasculis feminae saltantes tenere solent. Sed nuper oblocutus est Schulhof (*B. C. H.* XXXI 1907, 55), qui vitium fasces igni imponendos intellexit, cui sententiae favet, quod interdum pro vitibus ligna adhibentur (e. g. IG XI 2, 161 a 86). *Ῥυμοί* vero quid sint, nondum plane constat. Ac primum quidem collato funis usu in choreis *ῥυμόν* funem valere putaverunt Robert (*Herm.* XXI 1886, 166, 1), Diels (*Sib. Bl.* 91), Nilsson (*Gr. Feste* 381, 3), Reisch (*Realencycl.* III 2, 2384). Cui sententiae eodem fere tempore oblocuti sunt Schulhof-Huvelin (*B. C. H.* XXXI 1907, 53 sqq.) et Guilelmus Crönert (*Oest. Jahresh.* XI 1908 *Beibl.* 189 sq.). Uterque recte longas ligneas trabes rotundas hac voce significari dixit. Et Francogalli quidem viri docti aeque ac *κληματίδας* vel *ξύλα* has trabes in ara combustas dixerunt. Quae si vera essent, cur *ῥυμούς* a *ξύλοις* ubique distinxerint Delii, equidem nullam causam viderem, neque magnae trabes, quales fuisse videntur, aptae sunt, quae comburantur. Crönertus vero eos in chori partes advocavit et *ξύλου παράληψιν* (Athen. 630 a; Poll. IV 105) doctissima coniectura huc referre conabatur. Sed in ara atque in sacrificio adhibitos esse *ῥυμούς* nunc constat[1]. In explicanda difficultate illud imprimis tenendum, *ῥυμούς* in una quaque fere chorea innovatos

[1] *Ῥυμὸς ε[ἰς] βωμόν (δ' ὀβελοί)* IG XI 2, 144 A 32. *Ξύλα καὶ κληματίδες καὶ ῥυμοὶ τὰ ἱερεῖα ἑψῆσαι* 203, 51.

esse, qua re, ni fallor, efficitur, eos adustos vel alio modo inutiles factos esse. Quibus perpensis nescio an aliud quidquam restet nisi *ῥυμοῖς* ignem scrutatos esse Delios. Iam vero meminerimus ferri usum in igne fodiendo vetuisse Pythagoram: *πῦρ μαχαίρηι μὴ σκαλεύειν*[1]. Samii philosophi quod vocabatur praeceptum, revera e populari superstitione fluxisse, sicut alia permulta, quae illius nomine feruntur, in propatulo est. Cavebatur enim, ne ferro vis magica flammae impediretur. Hanc igitur religionem Deli servatam esse *ῥυμῶν* usu edocemur.

Sed haec sive vera sive falsa sunt, artissime omnem Deliorum choream cum sacrificiis in ara combustis coniunctam esse titulorum testimonio firmatur (supra 67, 1). Etiam quae omnium celeberrima fuit Delia saltatio, *γέρανον* dico, circum aram ducta est, scilicet *Κερατῶνα* e laevis cornibus exstructum (Plut. Thes. 21, 2; Callim. Del. 312). De qua paulo amplius liceat disputare, cum eis, quae adhuc constant, paulo pleniora effici posse sperem.

Fuit „grus“ saltatio Veneris (Callim. Del. 307) mense Hecatombaeone celebrata[2]. Venus in Ariadnae locum successit (Nilsson l. s. 381; Neustadt, De Iove Cretico, diss. Ber. 1906, 30; Bethe *Rh. Mus.* LXV 1910, 226 sqq.). Nocturna sacra fuisse testatur Callimachus (Del. 303), faces confirmant (Nilsson l. s.). De saltationis forma nos edocet Pollux IV 101: *τὴν δὲ γέρανον κατὰ πλῆθος ὠρχοῦντο, ἕκαστος ὑφ' ἑκάστωι κατὰ στοῖχον, τὰ ἄκρα ἑκατέρωθεν τῶν ἡγεμόνων ἐχόντων.* Fuerunt igitur duo *ἡμιχόρια,* quae uno ordine (*κατὰ στοῖχον*) collocabantur. Praeter *ἡμιχορίων* duces totius chori fuisse

---

[1] Testimonia congesserunt F. Boehm, De symbolis Pythagoreis, diss. Berol. 1905, 40 n. 33; Otto *Sprichw.* 171 n. 845. Adde Plut. de lib. ed. p. 12e; ionicam formam, quae est *μαχαίρηι*, servaverunt Iamblichus (protr. 21 p. 107, 6; 112, 24 Pistelli) et Porphyr. ad Hor. serm. II 3, 276. De interpretatione v. Boehm l. s.

[2] Homolle *B. C. H.* XIV 1890, 494, 2. 3; Nilsson *Gr. Fest.* 381. Adde, quod Hecatombaeone Veneris simulacrum *γανοῦται* (*B. C. H.* XXXII 1908, 14 B l. 4 sq. et Schulhof l. s. 46). Venerem Ariadnam fertilitatis deam esse constat. Quare eius feriae ad frugum messem referendae videntur; sed haec significatio quo tempore Delus totius Graeciae quasi fanum facta est, adeo oblivioni data erat, ut nulla eius vestigia apud auctores relicta sint.

principem Hesychi glossa *γερανουλκός· ὁ τοῦ χοροῦ τοῦ ἐν Δήλωι ἐξάρχων* demonstrat. Iam nominis ope licet chori figuram nobis refingere. In gruum enim catervis *γερανουλκός* primum locum tenet, ceterae eum duobus ordinibus sequuntur, quorum alter altero brevior est, ita ut cunei vel potius archaicae *Λάβδα* imago evadat[1]. Quattuordecim saltatores fuisse ex aetio apud Dicaearchum (Plut. Thes. 21 = FHG II 250) apparet, septem virgines septemque iuvenes. Sed iam dissidentibus nostris auctoribus oritur quaestio difficillima. Nam Callimachus (Del. 304 sq.) *ὑπόρχημα* esse saltationem contendit: *οἱ μὲν ὑπαείδουσι νόμον Λυκίοιο γέροντος, | ὅν τοι ἀπὸ Ξάνθοιο θεοπρόπος ἤγαγεν Ὠλήν· | αἱ δὲ ποδὶ πλήσσουσι χορίτιδες ἀσφαλὲς οὖδας.* Quibus obstant Pollucis verba, quae viros saltasse indicant; obstat *αἴτιον*, quod puellarum iuvenumque aequas fuisse partes statuit. Obstat denique amphorae a Clitia et Ergotimo confectae testimonium, ubi longo ordine iuvenes puellaeque permixti incedunt[2]. Neque in quaestione diiudicanda ullus usus est vocis *γερανουλκοῦ*, quam ad virum referendam esse apparet. Saepius enim in vasculis videmus iuvenem puellarum chorum ducentem[3]; potuit igitur etiamsi solae puellae saltabant, dux existere choreae. Sed meminerimus, quae de *ὑπορχήμασιν* Deliis tradit auctor de saltationibus (16; supra 67). Hyporchema cum Apollinis sacris fere coniungi affirmat Menander *π. ἐπιδ.*, Rhet. gr. III 331, 22 Sp. Quare mihi

---

[1] Similiter nomen iam Diels interpretatus est (ap. Pallat, De fabula Ariadnea, diss. Ber. 1891, 5). Ipsos saltantes avium personis indutos fuisse nusquam traditur. Vix igitur opus est refutare sententiam, quam J. Combarieu (*La musique et la magie, Et. de phil. musicales* III, Paris 1909, 134) professus est. Cum enim omnes saltationes ab animalibus ductas venationis gratia inventas esse credat (*pour avoir un droit ou une chance de prise sur le gibier . . ou l'esprit*), gruem quoque huius generis esse contendit. Sed neque venabantur Graeci grues neque pro deis venerabantur.

[2] Hanc *γέρανον* depingere imprimis Robert monuit (*Arch. Jahrb.* V 1890, 225, 11).

[3] Cf. e. g. Argivam testam geometricae artis Waldstein *Argive Heraeum* II 114 tab. 57, 17; ionicum vasculum Fröhner *Musées de France* tab. 13, 2; Inghir. *Vas. fitt.* II 254; Furtwängler *Smlg. Sabouroff* I 28; *B. C. H.* V 1881 tab. 7; G. Dickins *Catalogue of the Acropolis Museum* I 702.

verisimilius videtur Callimachum errasse Deliadum consuetudines ad *γέρανον* quoque referentem. Alios fuisse gruis saltatores, alias Deliades puellas imprimis rationum ope apparet. Choreutae enim argentum accipiunt, octo vel decem drachmas (*B. C. H.* XIV 1890, 494, 2; VI 1882, 23 l. 189; IG XI 2, 145, 7). Deliades vero praeter pateram, quam deo dedicant, nihil umquam accipiunt[1]. Quod vix cum Nilssonio (l. s. 381) sic explicari potest, ut propter nimiam difficultatem in grue exceptionem factam sumamus. Sed toto caelo *γεράνου χορευτάς* a Deliadibus Apollinis distare efficitur, quod non mirum, cum Apollini virgines, hi Veneri Ariadnae inserviant. Horum choreutarum unum, ni fallor, documentum tenemus, quo illos quoque certis vinclis cum fano coniunctos esse demonstratur, hieropoeorum rationem IG XI 2, 287 A 49: *Κόνωνι κιβωτὸν ἐπισκευάσαντι ὥστε τα[μι]εῖον*[2] *τοῖς χορευταῖς* (*δ' ὀβολοί*); IG XI 2, 158 a 63: *τῶι ταμιείωι τῶι χορευτῶν κλεῖδα ποιήσαντι Δεινοκράτει* (*δραχμή*). Quodsi saltatoribus arca et clavis dei sumptibus paratur, hos non ad singulas ferias mercede conductos esse, sed continuo deum servitio coluisse verisimile videtur, *ταμιεῖον* ipsum vero indicat thiasi in modum eos constitutos fuisse.

Altero quoque titulorum loco ‚gruis' admonemur. In Artemisio erat *ἡ καλουμένη γέρανος*: IG XI 2, 161 B l. 8 (anno 279 a. Chr.): *ὁ δέκατος ῥυμός· πυθμένωγ καὶ ὤτωγ καὶ τῶν ἀπὸ τῆς γεράνου ὁλκὴν μναῖ εἴκοσι δύο*; l. 63 *ἡ καλουμένη γέρανος καὶ ὁ ὅρμος ὁ ὑποτείνων ὑπὸ τὴγ γέρανον ἄστατα*; IG XI 2, 161 b l. 76 (anno 364): *τῶν ἀπὸ τῆς γεράνου ἀποπεπτωκότων σταθμὸν* (*τπ' δραχμαί*); l. 84: *ἡ καλουμένη γέρανος σταθμὸν* (*͵δυκη' δρ.*); l. 102: *ὅρμος ὁ περὶ τεῖ γεράνωι ἄστατος*. In titulis posterioribus inde ab anno 278 a. Chr. *τὰ ἀπὸ τῆς γεράνου* tantum afferuntur (IG XI 2, 162 B 5; 164 A 50 sq.; 199 b 36); *γέρανος* ipsa deest. Inde ab hoc anno igitur tota ‚grus', quae integra *γεράνου* nomine in prioribus rationibus ferebatur, collapsa vel omnino sublata, vel fractis (*τοῖς ἀπὸ τῆς γεράνου*)

[1] Homolle *B. C. H.* XIV 1890, 501, 6.

[2] Praepositio *ὥστε* cum accusativo notanda. Vulgo enim dativum habemus, sicut in hac inscriptione l. 59. 69. 71; IG XI 2, 158 a 72, vel *ὥστε ἐπί* cum accusativo IG XI 2, 287 A 52.

adnumerata est. Sed haec quoque mox perierunt, quo factum est, ut inde ab anno 250 vel haec non commemorarentur. Explicationem unus Crönert temptavit (*Oest. Jahresh.* XI 1908 *Beibl.* 187)[1]. *Τὴν γέρανον* esse saltantis virginis statuam coniecit, cum *ὅρμωι* feminam indicari putaret. Sed in hac re vir doctissimus mihi errasse videtur. Nam *ὁ ὅρμος ὁ ὑποτείνων ὑπὸ τὴν γέρανον* (l. s. s.) vix monile est, quod qua ratione ‚infra suspensum' esse possit, non video. Explicationem nobis praebet alius *ὅρμος πρὸς τῶι θρόνωι ἠρτημένος* qui in Artemisio erat (cf. IG XI 2, 161 a 22 et Dürrbachii notam). *Θρόνον* propter articulum ipsius deae accipere debemus. Fuit igitur *ὅρμος* catena in sella deae suspensa (sic Dürrbach l. s. s.). Quodsi ad hanc analogiam ‚gruem' quoque nescioquam statuam fuisse conicimus, intellegimus, cur modo ‚circumducta' modo ‚infra suspensa' audiat catena. Scilicet inferiori statuae parti circumducta fuit. Hactenus verisimilia efficimus, sed quid revera fuerit *ἡ γέρανος* quisve eam dedicaverit, vix inveniemus, nisi auctis interpretationis fundamentis. Ex eis quoque, quae nova Deliacarum inscriptionum sylloga nunc discimus, equidem plura efficere nescio.

Aliis quoque locis veteris consuetudinis circum aram saltandi vestigia offendimus. Sponte enim fere evenit, ut circuli forma evaderet, ubicumque ara vel dei simulacrum in medio positum saltationibus colebatur. Hunc in modum Siculos circum Nymphas, quibus sua quisque domo sacrificabat, saltasse refert Timaeus (Athen. VI 250 a; Nilsson *Gr. Fest.* 442). Cum vero templis deorum simulacra absconderentur, interdum circum ipsa delubra choreas instituerunt[2], quod fecisse ‚saltatores' qui vocabantur Phlyae[3] prodidit Theophrastus (Athen. X 424 f).

Manebat praeterea usus vetustus in saltatione circum puteum ducta, quam Hesiodus cum altera circum aram acta

---

[1] Pallat, De fab. Ariadn. 6, 1 dixit „esse donum ab eis dedicatum, qui quondam *γέρανον* saltaverant". Sed hac coniectura nihil lucramur.

[2] Cf. illud *ἀμφὶ ναόν* Eur. Iph. Aul. 1480, quod supra (65) attuli et Troad. 551 sqq. *ἐγὼ δὲ τὰν ὀρεστέραν τότ' ἀμφὶ μέλαθρα παρθένον Διὸς κόραν* [*Ἄρτεμιν* del. Seidler] *ἐμελπόμαν χοροῖσι.* Hero, autom. 4, 2.

[3] v. Wilamowitz *Herakl.* I[1] 5, 8. Aliter Toepffer *Herm.* XXIII 1888, 332, 2.

coniungit, Theog. 3 sq. *καί τε περὶ κρήνην ἰοειδέα πόσσ' ἁπαλοῖσιν | ὀρχεῦνται καὶ βωμὸν ἐρισθενέος Κρονίωνος*. Talem fuisse saltationem in Boeotorum sacris adhuc demonstrari potest. Cassiani Bassi quae vocantur Geoponica narratiunculam nobis servarunt de cupressi origine (XI 4), cuius haec fere est summa. Olim cupressi *Χάριτες* quoque appellabantur, Eteoclis filiae; *ὑπορχούμεναι δὲ ταῖς θεαῖς εἰς φρέαρ ἐξελιττόμενοι πίπτουσι*. Quarum in memoriam cupressos edidit Tellus. Hunc Eteoclem, Minyarum regem, Orchomeni Gratiarum sacra primum instituisse narrat Hesiodus (frg. 39 Rz.; cf. Paus. IX 34, 9 sqq.; Strab. IX 414). Fuisse, qui Gratias illius filias putarent, perlucide demonstratur scholiis ad Theocritum (16, 104), qui illas *Ἐτεοκλείους θεάς* vocavit[1]. Vide sis igitur, quam frivolo vinclo saltatio cum cupressis cohaereat. Apparet deas esse ipsas Gratias, saltationem vero sacrorum partem fuisse ab Eteocle institutam. Cuius *αἰτίωι* nescioquis Alexandrinus poeta annexuit cupressi fabulam[2]. Tenemus igitur celeberrimae Gratiarum religionis, quae Orchomeni florebat, ritum vetustum, saltationem circa puteum[3]. Commemorat illum fontem Pausanias (IX 38, 2) *ἔστι δέ σφισι (τοῖς Ὀρχομενίοις) καὶ κρήνη θέας ἀξία, καταβαίνουσι δ' εἰς αὐτὴν ὕδωρ οἴσοντες*, sacrae consuetudinis tamen ignarus. Gratias Orchomeni fuisse fertilitatis deas vulgo notum est. Quibus quam bene conveniat fontis religio, vix opus est dicere. Praeterea Gratias videmus coniunctas cum Argaphia fonte: *ἐνορχεῖσθαι ταῖς παρειαῖς εἴποις ἂν τὰς Χάριτας τὸν Ὀρχομενὸν ἀπολιπούσας*

---

[1] Etiam in textu *Ἐτεόκλειοι θυγατέρες* varia lectio est antiquitus tradita in scholiis et codd. K B.

[2] Cupressum in Cyparissae, Celtarum regis filiae, tumulo primum satam esse iam Asclepiades Isocrateus in Tragodumenis narraverat (Prob. Verg. Georg. II 84 = FHG III 306).

[3] Geoponicorum loci immemor Nilsson (*Gr. Fest.* 413, 3) saltationem in Charitesiis indicari dixit Euphorionis versu (frg. 102 Scheidw.) *Ὀρχομενὸν Χαρίτεσσιν ἀφαρέσιν ὀρχηθέντα*. Sed haec de Charitum ipsarum saltatione dicta esse Pollux IV 99 expressis verbis testatur. Ludens poeta primam extremamque versus partem paronomasia coniunxit, fortasse veriloquii gratia *Ὀρχομενὸς ἀπὸ τοῦ ὀρχεῖσθαι ἐκεῖ τὰς Χάριτας*, sicut Pollux verba eius interpretatus est. Plura eis effici posse non credo; cf. etiam Meineke, Anal. Al. 106.

καὶ τῆς Ἀργαφίας κρήνης ἀπονιψαμένας (Alciphr. I 11, 3 Schep.; cf. Meineke, Anal. Al. 282; Parth. frg. 28). Ubinam situs fuerit hic fons, nescimus (nam Gargaphia Plataeensis, quam admiscuit Et. M. 135, 31, procul habenda est). Sed Orchomenium fuisse ex Alciphronis verbis fere conicias.

Iam, priusquam singula chorearum genera perlustremus, nonnulla, quae aut de omnibus aut de compluribus dicenda sunt, praemittam.

Omnes virgines sacrae choreae participes patrimas et matrimas fuisse satis verisimile est, etsi in uno tantum epigrammate Thasiaco audimus puellam matris morte ab aequalium choreis sese prohibitam esse quaerentem (IG XII 8, 600, 10)[1]. Viris feminisque certas *ἁγνείας* impositas esse, sicut in pompis (Menand. Discept. 221 sqq.; cf. Wächter *Reinheitsvorschriften im gr. Kult, RGVV* IX 1, 11) consentaneum est, sed nihil traditur. Illud quoque in omnibus civitatibus valuisse conicio, quod Athenis constitutum esse dicunt choreutam civem esse debere ([And.] 4, 20; Dem. 21, 60; Plut. Phoc. 30), quoniam pro rei publicae salute deorum implorant pacem (cf. Reisch *Realencykl.* III 2, 2381 sq.).

Paulo fusius de placentarum usu in choreis nocturnis disputandum est. In nonnullis enim pervigiliis saltantibus sacrae placentae offerebantur.

Decimo infantis die nocturna sacra celebrabantur (cf. Deubner s. v. *Birth* ap. Hastings *Encyclop. of Relig.* II 649), in quibus erat mulierum saltatio; quae pro hoc munere *χαρίσιον πέμμα* accipiebant (Athen. XV 668 d)[2]. Eubulus apud Athenaeum *νικητήρια* vocat placentas (frg. 1, II 165 K.), sed procul dubio a referendo gratiam nomen acceperunt[3]. Sollemnem eorum usum in pervigiliis Aristophanes docet

---

[1] Electra tamen invitatur ad Argivorum sacra Eur. El. 167 sqq.

[2] Eustathius p. 1843, 24 sua Athenaeo debet. Ubique *χαρίσιον* placentam valet; errant igitur Eustathius, qui pervigilium ipsum sic vocatum esse contendit, et qui eum secutus est Nilsson (*Gr. Fest.* 413, 3).

[3] *Χαρίσια* praeterea occurrunt in epigrammate Latyschev, Inscr. Pont. Eux. IV 136, 1, ubi de sacrificiis pro felici partu oblatis dicta videntur: *Ἀβάλε τοι Μοῦ<σαι> σὰ χαρείσια, κάμμορε νύμφη | Οἰνάνθη, πα(ίδ)ων ἐπὶ γούνασι σεῖο τεθέντων | φωνῆσαι λοχίης τε καλὸν νόμον Εἰλειθύης.* Possis haec

(frg. 202, I 442 K.) *ἐγὼ δ' ἐλὼν πέμψω πλακοῦντ' ⟨ἐς* add. Bentley⟩ *ἑσπέραν χαρίσιον.* Sic Aeschinem pro saltatione ecstatica placentas accepisse sacras refert Demosthenes (18, 260). Aliud exemplum est, ni fallor, Dianae Samiae pervigilium, cuius causam Herodotus narrat (III 48): Corinthii quondam, cum nobiles Corcyreorum pueros ad Alyattem deducerent, ut exciderentur, Samum appulerunt. Quorum facinore comperto Samii pueris, ut ad aram Dianae confugerent, suaserunt; Corinthii vero fame eos interimere conabantur; tum Samii sacra, quae etiam Herodoti tempore durabant, instituere: *νυκτὸς γὰρ ἐπιγενομένης ὅσον χρόνον ἱκέτευον οἱ παῖδες, ἵστασαν χοροὺς παρθένων τε καὶ ἠιθέων, ἱστάντες δὲ τοὺς χοροὺς τρωκτὰ σησάμου τε καὶ μέλιτος ἐποιήσαντο νόμον φέρεσθαι, ἵνα ἁρπάζοντες οἱ τῶν Κερκυραίων παῖδες ἔχοιεν τροφήν.* Quem locum sic interpretatur Nilsson (*Gr. Fest.* 240) ut deae has placentas oblatas esse sumat. Qua in re viro doctissimo assentiri nequeo. Cur enim Samii choros instituerint, cum placentas deposuisse in ara satis fuisset, non intellego. Accedit, quod vocis *φέρεσθαι* in sacrificiis offerendis nullum exemplum novi; exspectaveris saltem *φέρεσθαι ἐπὶ τὸν βωμόν* vel potius *ἐπιτίθεσθαι, ἀνατίθεσθαι.* Contra si saltantibus destinatae erant placentae, omnia plana sunt; neque minus commode Corcyreorum pueri eas arripere potuerunt e chori manibus quam ab ara. Sic demum totum *αἴτιον* (neque aliud quicquam esse Herodoti fabellam vidit Nilsson) explicatur. Placentae illae, quibus *σησαμίς* vel *σησαμῆ* nomen erat [1], etiam in nuptiis comedebantur *διὰ τὸ πολύγονον* (schol. R V Ar. Pac. 869). Similiter *πυραμίδες ἆθλα τίθενται ταῖς παννυχίσι τῶι διαγρυπνήσαντι* (Athen. XIV 647 c; Lobeck, Aglaoph. 1078) [2]. Huc denique pertinere *χόρια* (an *χορεῖα*?)· *βρώματα διὰ μέλιτος καὶ γάλακτος γιγνόμενα* (Athen. XIV 646 e)

---

quoque referre ad decimum diem, quo *ἁγνεύει λεχώ* (Eur. El. 654), vel ad ipsam, de qua agimus saltationem, sed recentis poetae verbis cautius uti decet.

[1] *Σησαμίδες ἐκ μέλιτος καὶ σησάμων πεφρυγμένων καὶ ἐλαίου σφαιροειδῆ πέμματα.* Athen. XIV 646f.

[2] Cf. nunc etiam Callimachum in *Παννυχίδι* Athen. XV 668 c et v. Wilamowitz *Berl. Sb.* 1912, 538.

nomen ipsum prodit. Usus interpretationem omni dubitatione exemptam nescio. Fortasse, quo maiores essent saltantibus vires, quibus deos placare possent, sacer cibus eis offerebatur (nam sacrum esse, quae supra de sesamide exposui, docent). Sed mox vetusta religio obscurata est. Nam comicorum tempore nihil aliud erant, nisi dona saltantibus oblata.

Iam de singulis choreae generibus disputaturus eas praemitto, in quibus saltatio secundas partes fert, a comitantium caterva acta. Deli civitatum Graecarum theoros ad aram procedentes virorum chorus comitabatur[1]. Mirum est neque tamen ulli dubitationi obnoxium in procedendo choros longa carmina cantasse, qualia sextum decimum (XVII) Bacchylidis et Pindari paeanes IV. V. Hinc lucem accipit quarti paeanis initium, quod sic fere refinxerim (paean. IV 5 sq.)

οὖρον] δ' ἐπέων δυνατώτερον
ὕμνοις πέμπε, θὲ]ά, κατὰ πᾶσαν ὁδόν[2].

Tunc demum imaginem Pindari recte intellegimus, cum haec in via, quae ab ora maritima Deli ad aram Apollonis fert, cantata esse cognovimus. Illud quoque in propatulo est, cur Bacchylides in fine carminis, cum pompa iam aram attingeret, non in prooemio, preces posuerit: *Δάλιε, χοροῖσι Κηίων φρένα ἰανθεὶς ὄπαζε θεόπομπον ἐσθλῶν τύχαν* (Bacch. 16 (17), 130 sqq.). In pompa Atheniensium Delphos missa discernuntur *θεωροί* et *Πυθαϊσταί*. Colin (*Culte d'Apollon Pythien* 40 = *B. C. H.* XXX 1906, 193), quae cuiusque generis fuerint officia vix distingui posse dixit. Sed cum in titulo Delphico (ibid. 46) legamus fuisse *διδασκάλους τοῦ χοροῦ τῶν Πυθαϊστῶν*, Pythaistas theoros ad aram proficiscentes comitatos esse, sicut Deli, apparet (cf. etiam Fairbanks *Study of the Greek Paean, Cornell St.* XII 1900, 26). Simile est *δαφνηφορικόν*, in quo sequitur daphnephorum *χορὸς παρθένων, προτείνων κλῶνας πρὸς ἱκετηρίαν τῶν ὕμνων* (Procl. chrest. 248, 25 Westph. = schol. P[2] M Cl. Alex. Protr. I 10, 2 vol. I p. 299, 17 Stählin). Habe-

[1] Robert *Herm.* XXI 1886, 166; Pfuhl, De Atheniensium pompis sacris 106.

[2] *Κόσμον] δ' ἐπέων δυνατώτερον [εὗροιτ' ἂν μελετ]ὰ κατὰ πᾶσαν ὁδὸν [σοφίας σφιν]* Sittl *Wochenschr. f. Kl. Phil.* XXVIII 698 sq.

mus nunc Pindari δαφνηφορικόν (Parthen. II = frg. 104 d Schroed. ed. min.), ubi idem chori cultus commemoratur: χερσίν τ' ἐν μαλακαῖσιν ὄρπακ' ἀγλαὸν δάφνας ὀχέοισα πάνδοξον Αἰολάδα σταθμὸν υἱοῦ τε Παγώνδα ὑμνήσω στεφάνοισι θάλλοισα παρθένιον κάρα (l. 27 sqq.). Primas partes in his feriis non esse chori, sed pueri et rami, qui κωπώ vocatur, constat (Dieterich *Sommertag*, *Arch. f. Rel.* 1905 *Usenerh.* 101 = *Kl. Schr.* 339 sqq.). Eadem res fuit in ὠσχοφορικῶι quod ὄρχημα Aristocles (Athen. 631 b) γυμνοπαιδικῆς partem dixit. Oschophoricam pompam a Bacchi fano Phalerum, non invicem deductam esse egregie demonstravit E. Pfuhl, De Atheniensium pompis sacris 55 sqq. In qua pompa iuvenes ramos vitium gestantes chorum prosecutum esse, qui ὠσχοφορικὰ μέλη caneret, Proclus narrat 249, 30 W.[1] Ὠσχοφορικὸν ὄρχημα post ea, quae de comitantium saltationibus exposui, iam nemo a cantu divellet[2]. Hoc quidem concedo debuisse Aristoclem hanc saltationem, si cum cantu coniuncta fuit, non γυμνοπαιδικῆς, sed ὑπορχηματικῆς vocare partem, sicut προσοδιακά cetera (Athen. 631 d), sed idem cadit in pyrricham (supra 33) et quantula eius fides sit, supra demonstrare conatus sum (14 sqq.). Huc etiam τριποδηφορικόν Boeotorum revocandum videtur (Procl. 248, 29 W.; cf. v. Wilamowitz *Berl. Sb.* 1908, 339).

Iam videamus, quae huius saltationis fuerit origo. Antiquissimis temporibus nihil aliud nisi κῶμος fuisse putandus est comitantium, qui postea in chori ordinem redigebatur, cum rudes incompositique mores musicae artis notitia expolirentur. Manebant priscae consuetudinis parca vestigia, acclamationes dico: ὀλολύξατε νῦν ἐπὶ μολπαῖς chorus ‚comitantium' in fine Eumenidum (1044. 1048) imperat. Similiter quam in Pindari Paeane Atheniensibus scripto (V) initio stropharum legimus acclamationem ἰήιε Δάλι' Ἄπολλον[3], formulam esse antiquitus

[1] Hunc ab ipsis ὀσχοφόροις disertis verbis Proclus distinguit, neque minus a pueris cursoribus, de quibus conferas Robert *G. G. A.* 1899, 529 sq.; Pfuhl l. s. 49. Errant igitur, qui hac re neglecta decem choreutas ad phylarum numerum invenire student (A. Mommsen *Feste d. Stadt Athen* 283; Harrison *Themis* 322).

[2] Pfuhl (l. s. 49) in Sciradis Minervae fano saltationem peractam esse coniecit.

[3] Cf. Soph. O. R. 154 ἰήιε Δάλιε Παιάν, eisdem numeris adstrictum.

traditam, quam olim comitantes exceperunt, facile suspiceris; cf. nunc v. Wilamowitz *Sappho u. Sim.* 248. Fortasse etiam Pindari temporibus haec verba repetebat Atheniensium turba, quotiens a choro cantabantur.

Ubique in eis, quae adhuc tractavi, saltatio quasi ancilla secundas partes tutabatur, vel cum sacrificio coniuncta vel a comitantium choris acta. Sui iuris vero est non solum in deorum sacris permultis, sed etiam in aliis feriis sollemnibus quidem, sed nulli deo dedicatis.

Cum adulescentes togam virilem assumerent, quotannis sacra per Graeciam celebrata esse, quibus in virorum sodalicium reciperentur, constat. Narrat vero Heraclides Ponticus ([Plut.] mus. 9 p. 1134 c) alterius quae vocatur aetatis musicae poetas gymnopaedia instituisse ⟨*καὶ* Hiller⟩ *τὰ περὶ τὰς Ἀποδείξεις τὰς ἐν Ἀρκαδίαι τῶν τε ἐν Ἄργει τὰ Ἐνδυμάτια καλούμενα. Ἀποδείξεις* quid fuerint, a Polybio edocemur, qui in quarto omnem Arcadum vitam ait musicis exercitiis deditam esse a pueris usque ad trigesimum aetatis annum. Quamobrem *ὀρχήσεις ἐκπονοῦντες μετὰ κοινῆς ἐπιστροφῆς καὶ δαπάνης κατ᾿ ἐνιαυτὸν ἐν τοῖς θεάτροις ἀποδείκνυνται* (sic AFR, *ἐπιδείκν.* Athen. XIV 626 c) *τοῖς αὑτῶν πολίταις οἱ νέοι* (Polyb. IV 20, 12). Iuvenes septimo a. Chr. saeculo non id tantum egisse, ut civium aures carminibus quotannis permulcerent, vix est quod moneam. *Ἀποδείξεις* pro *ἐπιδείξεσιν* accepit Polybius, sed antiquissimis temporibus omnino haec vox non ad musica spectacula pertinuisse videtur, sed significasse ferias, *ἐν αἷς τοὺς νέους πολίτας ἀπέδειξαν.* Chori vero quo tempore Heraclides dixit additi sunt, ut sollemnia exornarent. Convenit alterum nomen, *Ἐνδυμάτια* Argis celebrata. Nomen ad commutationem vestis, qualis saepius apud Graecos invenitur (cf. Halliday *The Hybristica B. S. A.* XVI 212 sqq.; Nilsson *Gr. Fest.* 370 sqq.), dubitanter rettulit Nilsson (l. s. 371, 3). Sed nomen *τοῦ ἐνδύεσθαι* ad hunc ritum non ita bene quadrare ipse concedit, neque verisimile est duas huiusmodi Argis fuisse ferias, Hybristica (Plut. mul. virt. p. 245 e) et Endymatia. Accedit, quod in huius generis sacris vix locus dabatur choreis musicis. Aliam vero explicationem apte praebet usus Cretensis vocis *ἐκδύεσθαι.* In Dreriorum enim iureiurando (*G. D. I.* III 2, 4952 c 12 sqq.;

cf. 5100, 18) *ἁ ἀγέλα ἁ τόκα ἐγδυομένα* commemoratur, scilicet epheborum caterva, quae togam praetextam ponit et cingulum accipit (Lipsius *Zum Recht von Gortyns, Sächs. Abh.* 1909, 409). *Ἐνδύεσθαι* de sumenda toga virili dictum esse satis verisimile videtur [1]. Cui interpretationi coniunctionem quoque artissimam inter Cretensium Argivorumque dialectum favere in propatulo est. Tertium huius generis exemplum puto *τελεσιάδα* armatam saltationem, cuius nomen cum voce *τελετῆς* coniungendum esse supra 31, 2 dixi. Quare verisimile videtur armatorum eam fuisse iuvenum, qui in civium numerum adlegerentur. Sed quam ardua sit coniectura in uno nominis veriloquio posita, probe scio.

Cum haec iuvenum saltatio, quod quidem videre possimus, nullos certos acceperit patronos, alia feminarum chorea variis deis sese applicuit, initio et ipsa nemini deorum addicta. Euripides bis virginum cantus in Iunonis Argolidis fano commemoravit (El. 173sq.; Iph. Taur. 221). Huc Nilsson (l. s. 45) pertinere arbitrabatur Pollucis locum (IV 78): *Ἱεράκιον* [2] *δὲ τὸ Ἀργολικὸν (μέλος), ὃ ταῖς Ἀνθεσφόροις ἐν Ἥρας ἐπηύλουν.* Neque tamen in celeberrimo Iunonis fano haec acta sunt. Fuit Argis *Ἥρας Ἀνθείας* (Paus. II 22, 1; cf. Et. M. 108, 47) templum, cui *ἀνθεσφόρους* adiunctas fuisse admodum probabiliter coniecit Frazer (Pausanias III 201). Huc etiam pertinere videtur Et. M. 409, 28: *Ζευξιδία ἡ Ἥρα· οὕτω τιμᾶται ἐν Ἄργει.* Apis boves Argivorum regi misit, *ὁ δὲ ζεύξας ἐπὶ σπόρωι τὰς βοῦς Ἥρας ἱερὸν ἀνέθηκεν· ὅτε δὲ τὰς στάχυς συνέβαινε βλαστάνειν καὶ ἀνθεῖν, ἄνθεα τῆς Ἥρας ἐκάλεσε.* Tamen hic flores segetum intellegendi; cum vero *ἄνθη* de frumento inusitatius

---

[1] Lyctiorum quoque ferias huc potissimum rettulerim, quae *G. D. I.* III 2, 5100, 20 commemorantur. Lyctii sese recitaturos foedus promittunt quotannis *ἐν τοῖς Περιβλήμα*[*σι*]. Sic Haussouiller et Halbherr scripserunt; Blass annotat hanc coniecturam neque lacunae sufficere neque grammaticae. Scribas *Περιβλημα*[*τίοις*]. Iureiurando iuvenes in foedera inimicitiasque civitatis adstrictos esse tam Dreriorum sacramentum, quam ipse hic titulus docet.

[2] Videtur Hierax, Olympi discipulus, accipiendus esse, cuius *νόμον* commemoraverunt Epicrates (frg. 2, II 282 K. = Athen. XIII 570 b) et Pollux (IV 79); cf. Abert *Realenc.* VIII col. 1411, 11. Hieracem quendam in fabula de Ius erroribus Argolica Iunonis partes sustinere (Apoll. Bibl. II 7) me docuit Deubner. Sed his uti non possumus, nisi benignus casus ampliora nobis offeret.

dicantur, nescio an tota glossa inventa sit nominis explicandi gratia, quod nobis servatum est apud Hesychium (inter *ἥρσσα* et *ἥρσσεν*): *Ἡροσάνθεια· ἀνθολογία· ἑορτὴ γυναικεία λαμπρὰ ἀγομένη ἐν Πελοποννήσωι κατὰ τὸ ἔαρ* (cf. Phot. s. v. *Ἡροάνθια*). Quam si non ad eandem (quod dixit Frazer l. s.), ad similem tamen consuetudinem referendam esse unusquisque concedet. Et iam observes deae nomen in Hesychi glossa deesse. Vetustissimus erat ritus flores colligendi; deae postea adiungebatur, cum omnes fere feriae deorum tutelae subicerentur. Similem consuetudinem in Iunonis Tirynthiae sacris fuisse nunc docuit A. Frickenhaus (*Tiryns, Ausgrab. d. Inst.* I 67; cf. 28; 45), qui huc rettulit parvas feminarum statuas votivas, quae protenta manu vel pictos flores gestant vel veros minuto foramini insertos quondam portaverunt. Etiam in Sicilia fuere Anthesphoria Persephonae sacra (Poll. I 37; Nilsson *Gr. Fest.* 357). Eaedem feriae Hipponii in Magna Graecia agebantur. Siculorum sacra ad similitudinem narrationis de raptu Persephonae efficta esse verisimile est (Nilsson 356), sed ritum flores colligendi fortasse hac fabula antiquiorem fuisse Nilsson coniecit (357). In merum lusum quoque abiit, quod saepius videmus (e. g. Heim, Incant. mag., *Fleckeis. Jb.* Suppl. XIX 513 sqq.): *ἦν δὲ καὶ παρὰ τοῖς ἰδιώταις ἡ καλουμένη ἄνθεμα· ταύτην δὲ ὠρχοῦντο μετὰ λέξεως τοιαύτης μιμούμενοι καὶ λέγοντες·*

ποῦ μοι τὰ ῥόδα, ποῦ μοι τὰ ἴα,
ποῦ μοι τὰ καλὰ σέλινα;
[*ποῦ μοι* incl. anonymus] *ταδὶ τὰ ῥόδα, ταδὶ τὰ ἴα,*
ταδὶ τὰ καλὰ σέλινα

(Trypho ap. Ath. XIV 629 e)[1]. Apparet hanc cantilenam a

---

[1] Carminis originem definire nescio. Digammi auxilio hiatus vix ferendus *τὰ ἴα* tollitur. Lesbia dialectus *τὰ βρόδα* flagitaret (Sapph. frg. 65. 68 B.). Nec numeri Lesbii videntur; sunt iambi mira concinnitate inter theses plenas et solutas alternantes sicut Ar. Lys. 262 sq.; Eur. Hipp. 1108; Hec. 923 et saepius. Simillimum versum habes Eur. Or. 1247 = 1267:

⏑ – ⏑ ⏑⏑
⏑ – ⏑ ⏑⏑ – ⏑ –,

ubi duo iambi clausula cretica excipiuntur, sicut in nostro carmine:

bipertito choro cantatam esse, cuius altera pars collectos flores alteri tradebat. Virgines *ἀνθοφόρους* Thasi fuisse inscriptiones docent, imperatorum quidem aetate conscriptae, sed tunc demum hunc honorem inventum esse vix quisquam contendet: legimus IG XII 8, 609 Aureliae Theanus (post tertii igitur saeculi initia) inscriptionem, quae obiit tredecim annos nata: *σῶμα κόρης . . . παρθένου ἀνθοφόρου τύμβος ὅδ' ἐ[γ]κατέχει.* Aetate virginis et eo, quod a toto epigrammate abest deae nomen, prohibeor, quominus de sacerdotio, in quo coronam floribus sertam portabant, cogitem[1]. Eundem honorem duas alias feminas obtinuisse scimus (IG XII 8, 526, 5; 553, 1). Prior (526) praeterea *διὰ βίου στεφανηφόρος* fuit, quod meae sententiae, aliud esse coronam portari sacerdotii insigne, aliud *ἀνθοφορεῖν*, favet.

Ex eis, quae attuli, consentaneum est, in hac consuetudine ipsum flores colligendi portandique ritum primum locum tenere. Vere, cum denuo floresceret tellus, virgines feminaeque ex urbe profectae flores colligebant; interdum in templo deae post reditum saltabant, sicut *ἐν Ἥρας* (supra 78). Apparet, opinor, totius usus ratio. Flores novos, ipsum novum ver ingerunt in urbem, ut ibi quoque omnia felici floreant beatitudine. Simillimum ritum strenam (cf. Deubner *Glotta* III 34 sqq.), arborem, *εἰρεσιώνην* inferendi vix memorare opus est[2].

Sed saltationem quoque in his sollemnem fuisse nonnullis aliis eiusdem generis exemplis mihi effici videtur. Fuit in Rheae vel potius Magnae Matris[3] cultu (Nic. Al. 217; Hes.

⏓ – ⏑ ⏑⏑
⏓ – ⏑ ⏑⏑
⏓ – ⏑ ⏑⏑ ⏑ – ⏓

vel ⏑ – ⏑ – ⏑⏑ – ⏓; incertum enim, num *καλὰ* priorem syllabam corripiat an non. Haec omnia ipsius Graeciae aliquam regionem indicare videntur, sed plura efficere nequeo.

[1] Quod nescio an sumendum sit in titulis Aphrodisiacis CIG II 2821. 2822, ubi laudatur Veneris *ἀνθηφόρος*; sed cui deae strenae dedicabantur (Nilsson l. s. 363, 4), ei flores quoque collectos non negaverim.

[2] Illud tamen moneo in insula Co arborem illam, quam a Maio mense vocare consuevimus, cum Iunone coniunctam esse (Nilsson l. s. 61).

[3] Cf. Hepding *Attis* 190 sq.

s. v. κέρνεα) τὸ κερνοφόρον ὄρχημα, in quo saltabant λίκνα ἢ ἐσχαρίδας φέροντες· κέρνα δὲ ταῦτ' ἐκαλεῖτο (Poll. IV 103, om. B). De cernis quaestio his annis multum agitata est [1]. Hoc tamen Polemonis testimonio omni dubitatione eximitur, fuisse κέρνον ἀγγεῖον κεραμεοῦν, ἔχον ἐν αὐτῶι πολλοὺς κοτυλίσκους κεκολλημένους· ἔνεισι δ' ἐν αὐτοῖς ὅρμινοι, μήκωνες λευκοί, πυροί, κριθαί, πισοί, λάθυροι, ὦχροι φακοί, κύαμοι, ζειαί, βρόμος, παλάθιον, μέλι, ἔλαιον, οἶνος, γάλα, ὄιον ἔριον ἄπλυτον· ὁ δὲ τοῦτο βαστάσας οἷον λικνοφορήσας τούτων γεύεται (Athen. XI 478 d). Consentaneum est πανσπερμίαν in hoc usu primas partes sustinere; quod vero schol. Nic. Al. 217 κέρνους, ait, φασὶ τοὺς μυστικοὺς κρατῆρας, ἐφ' ὧν λύχνους τιθέασιν, hoc tam aperte nocturna sacra spectat, ut postea demum illatum videatur [2]. Xanthudidis (l. s. s.) nos edocuit hodie quoque in Graecis ecclesiis a presbytero similes κέρνους consecrari fertilitatis gratia. Nostra nunc imprimis interest, quo saltandi usus tendat. Et mihi quidem ἀνθοφορίας ritu comparato quodammodo dedicari videtur πανσπερμία hac saltatione, quo eius virtutes augeantur, non aliter atque hominum vires remotis temporibus augeri saltationis motibus putarunt (v. etiam A. Dieterich *Mithrasliturgie* 103 sq.).

Similis saltatio [3] in tabula Ninnii votiva comparet (Ἐφημ. ἀρχ. 1901 tab. 1; Collignon-Couve *Catal. d. vas. peints d' Ath.* n. 1968 tab. 52; Farnell *Cults of the Greek St.* III tab. 16), quam cum mysteriis coniungendam esse constat.

In omnibus his exemplis fruges vel flores a saltatore portantur. Sed etiam ipsae fruges saltant, vel potius homines illarum speciem imitati. Quod factum est in saltatione calathorum. Coloënae prope Sardes teste Strabone in Dianae feriis saltabant κάλαθοι (Strab. XIII 626). Verum vidisse puto Nilssonium, qui homines in corbibus abditos saltasse coniecit

[1] Priorum dissertationes collegit et recensuit Pringsheim *Archäologische Beiträge zur Gesch. d. eleus. Kults*, diss. Bonn. 1905, 69 sqq. Praeterea Xanthudidis *B. S. A.* XII 9 sqq.; G. Karo *A. Rel.-W.* VII 1904, 141.

[2] Tamen notes scholii testimonium congruere cum parietaria pictura Etrusca, quae in caverna della Scimia quae appellatur inventa est (*Mon. d. Inst.* V 16; *Annali* 1850, 272). Ibi enim cernimus puellam ante tibicinem saltare parvulum candelabrum in capite gestantem.

[3] Similem, non eandem dico Pringsheimium secutus (l. s.).

(*Gr. Fest.* 253). Eundem usum in ignotis Cereris sacris affert Eustathius[1], cuius testimonium adhuc neglectum est. De calathorum natura admodum pauca scimus; Dianae calathum Bithyniae novimus (Usener *Rh. Mus.* L 1895, 145 sq.). In Cereris sacris *καλάθου* pompa deducitur Alexandreae et in Caystri vallo (Nilsson l. s. 350 sqq.). Cui deae inscriptio Cii in Bithynia inventa[2] ascribenda sit, incertum est. Hoc vero constare videtur, hunc calathum mysticum initio fruges continuisse (Usener l. s.). Qua de causa eorum saltationem quoque ad segetem vel messem referendam duco. Eadem fere est ratio, quae in saltatione cum ramis. Utraque enim fertilitatem et felicitatem tutam fore sperant.

Inter choreas saltatione cum cantu actas primum sibi locum poscit Deliadum chorus. Virgines Deliorum per totam antiquitatem saltandi arte clarae fuere[3]. Quarum choreas Apollinis feriis celeberrimis ductas esse inde ab Homerici in Delium hymni temporibus, cum Iones, frequentissima turba, undique ad festum diem celebrandum confluerent, notius est quam quod testimoniis indigeat[4]. Solae Deliades ad Apollinis aram

---

[1] 1627, 48 *κάλαθος· οὗ ἡ ἐτυμολογία παρὰ τὸ κάλον, ὅ ἐστι ξύλον, καὶ τὸ θέειν, ὅ ἐστι γυροῦσθαι, ἀφ' οὗ καὶ ἐν τοῖς ἑξῆς που θόλος· κάλα γὰρ θέοντα κυκλοειδῶς ἀποτελεῖ καλάθους, ὁποῖοι καὶ οἱ τῆς Δήμητρος, οὓς ὀρχεῖσθαι μῦθος ἔν τινι τελετῆι Δημητρειακῆι.* Fontem Eustathii ignoro. Sed cur eius verbis diffidamus, nulla causa est.

[2] Körte *A. M.* XXIV 1899, 413 n. 13. Hac occasione uti liceat, ut vocem nunc omni testimonio destitutam ab oblivione vindicemus; l. 2 enim haec leguntur: *πᾶσαι ἀνιλίποδές τε [κα]ὶ ἵμασι φαιδρυνθῖσαι | τῷ καλάθῳ συνέπεσθε.* Kroll ap. Koertium l. s. 414 coniecit *ἀνειλίποδες* „*die nicht schleppfüßigen, d. h. die hurtigen*". „*Für das unverständliche ἀνιλίποδες möchte A. Körte* (*A. M.* l. s.) *das altbekannte ἀπεδίλωτοι setzen. Das ist eine zu starke Änderung; vielleicht soll es ἀνιπτόποδες sein*", Nilsson l. s. 255. Sed *ἀνήλιπος* apud Theocritum IV 56 omnes codices praebent excepto Ambrosiano K. Ex quo *νήλιπος* recepit Wilamowitz (cf. *Textgeschichte der Bukoliker* 31); *νηλίπους* Soph. O. C. 349; *νηλίποδες· ἀνυπόδετοι* Phot. (*νηνίποδες* cod.: corr. Thes. s. v.); *νηλίπους: ἀνηλίπους = νήνεμος: ἀνήνεμος*, cf. Kühner-Blaß *Gr. Gr.* I 2³, 325 *ε*. In titulo igitur *ἀνηλίποδες* accipiendum.

[3] Delum in encomiis *χοροστατικῆι* laudandam esse etiamtum Menander sive potius Genethlius dixit (Rhet. Gr. III 360, 22 Sp.).

[4] Nocturnas saltationes fuisse faces demonstrant, in his, sicut in ‚grue' adhibitae (Nilsson *Gr. Fest.* 381). Sed Nilssonio minime assentior, qui per-

saltabant; quos ceterae civitates mittebant choros, theoros ad aram tantum comitabantur (supra 75). Eadem res nescio an in Pythiis Delphicis fuerit, ubi choros comitantium theoris adfuisse supra exposui. Virginum choreas commemorat Pindarus (paean VI 15 sqq.). Nihil tamen certum efficitur. Sed Deli solas Deliades saltasse ante Apollinis aram consentaneum videtur. Sic factum est, ut aliae quoque civitates illarum opera deum sibi conciliare studerent. In amphictyonum Atticorum rationibus (*B. C. H.* X 1886, 461 sqq. = Michel *Recueil* 815) nulla huius usus vestigia videmus. Sed quae proximae illas excipiunt tabulae Hypsocle archonte anno 279 conscriptae (IG XI 2, 161) inter pateras haec enumerant (B 13 sqq.): *φιάλη, Δηλάδων ἀνάθημα, χορεῖα ἐπὶ ἀρχεθεώρου Ῥοδίων Θρασυμάχου. φιάλη, Κώιων ἀνάθημα ἐπὶ ἀρχεθεώρου Σίμου . . . φιάλη, Ῥοδίων ἀνάθημα ἐπὶ ἀρχεθεώρου Ἁγησάνδρου.* Hagesander vel Thrasymachus Rhodiorum legati Deliades ut pro civitate sua saltarent, compellebant; virgines pro munere pateram accipiebant, quam deo dedicabant (cf. Homolle *B. C. H.* XIV 501 sq.). Sic anno 250 Sosisthene archonte venerunt Coum legati (IG XI 2, 287 A 73 sq.), quibus Delii faces et ligna praebuerunt: *ὅτε ὁ χορὸς ἐγένετο τοῖς Κώιων θεωροῖς λαμπάδες* (δ′ *δραχμαὶ ἡμιωβέλιον*) *καὶ ῥυμὸς καὶ κληματίδες* (δ′ *ὀβολοὶ ἡμιωβέλιον*)[1]. Variis igitur anni temporibus legati venerunt civitatum liberorum successorumque Alexandri Magni, qui Deliadum saltatione deum colebant. Neque reges tantum hoc fecerunt. Quodsi in Hypsoclis rationibus inter impensa refertur (IG XI 2, 161 A 85 sqq.): *χορῶι τῶι γενομένωι τοῖς κωμωιδοῖς καὶ τῶι τραγωιδῶι Δράκοντι, τοῖς ἐπιδειξαμένοις τῶι θεῶι· δᾶιδες* e. q. s., haec verba vel propter faces de tragoediae choro histrionibus dato accipi nequeunt, neque intellegi posset, quid uno choro comoedi et tragoedus fecerint. Et similiter

---

vigilia a gerano ad ceteras ferias translata dixit, vel eam ob causam, quod Deliadibus nihil cum gruis saltatoribus commune est. Accedit, quod pervigiliorum exempla tam multa sunt, ut vix aliud ex alius auctoritate institutum contendas. De Cerere et Baccho res notissima, de Diana cf. Nilsson *Gr. Fest.* 187, de Minerva Eur. Heracl. 781 sq., de Apolline Hyancintho Eur. Hel. 1468.

[1] Nuper de huius generis feriis Deliacis egit E. Schulhof, *B. C. H.* XXXII 1908, 101 sqq., qui priorum dissertationes attulit.

ibidem (l. 100) *εἰς τὸγ χορὸν τὸγ γενόμενον Τιμοστράτωι τῶι αὐλητῆι, ὅτε ἐπεδείξατο τῶι θεῶι.* IG XI 2, 219 A 16 *ὅτε οἱ τεχνῖται ἐπεδείξαντο, δᾶιδες τῶι χορῶι.* Haec nulla ratione aliter interpretari licet, ac verba *ὅτε ὁ χορὸς ἐγένετο τοῖς Κώιων θεωροῖς,* quae supra 83 exscripsi. Itaque privati quoque homines Deliadum chorea deum sibi propitiabant. Sed Timostratum et Dracontem, quod videamus, nullas pateras dicasse notandum est. Hoc vero exempla modo allata docent, vel artifices illos meliora sibi a deo eventura sperasse, si sacrarum virginum saltatione ei commendarentur.

Cuius religionis ratio non multum quaerenda. Etiam apud Graecos sententia viguit magis acceptas esse deis sacerdotum preces vel iustorum. Iam Nicias Deli *χωρίον μυρίων δραχμῶν πριάμενος καθιέρωσεν, οὗ τὰς προσόδους ἔδει Δηλίους καταθύοντας ἑστιᾶσθαι, πολλὰ καὶ ἀγαθὰ Νικίαι παρὰ τῶν θεῶν αἰτουμένους· καὶ γὰρ τοῦτο τῆι στήληι ἐνέγραψεν, ἣν ὥσπερ φύλακα τῆς δωρεᾶς ἐν Δήλωι κατέλιπεν* (Plut. Nic. 3, 6). Sic Aeschinus Terentianus ad patrem (Ter. Adelph. 704): 'tu potius deos conprecare; nam tibi eos certe scio, | quo vir melior multo es quam ego, obtemperaturos magis'. Olbiopolitae sacerdoti gratias agunt, quod eius preces audiverint dei (Latysch., Inscr. P. E. I 24, 19 sqq.). Magnae Matri puellas saltare pro alterius valetudine Menander dixit (infra 97). Quid quod Usener docuit deos minores interdum preces hominum ad magnos deos perferre haud aliter atque in ecclesia christiana sanctos (*Rh. Mus.* LV 1900, 291 sq.). Eadem ratione igitur Deliades quoque putabantur deo propiores, quarum precibus ille magis obtemperaret.

Videtur Deliadum collegium paulatim omnes sacras saltationes suscepisse. Non Apollini tantum et Dianae (Eur. Hec. 462 sqq.; Nilsson l. s. 209, 4) choreas ducebant, sed etiam aliis deis. Semus narrat eas *Βριζοῖ προσφέρειν σκάφας πάντων πλήρεις ἀγαθῶν πλὴν ἰχθύων διὰ τὸ εὔχεσθαι ταύτηι περί τε πάντων καὶ ὑπὲρ τῆς τῶν πλοίων σωτηρίας* (Athen. VIII 335 a). Num omnino in his sacris saltaverint, nescimus. Brizo dea nobis aliunde non nota, nisi quod Hesychius (s. v. *βριζόμαντις*) et Et. M. (213, 38) tradunt incubatione eam oracula dedisse. Deubner propter *σκάφας* pro navium salute oblatas,

ut Isidis πλοιαφέσια compararem, mihi suasit. In his enim maris deae navis variis sacrificiis onusta offertur, ut ceteris navibus parcat (cf. Deubner *Ath. Mitt.* XXXVII 1912, 180 sqq.). Eundem ritum propter virginum vota pro navium salute facta Brizus quoque religioni subesse coniecit. Maris deae pisces non offerri optime quadrat. Unum illud mihi scrupulum inicit, quod non necassario σκάφη navem significat, etsi verbis ὑπὲρ τῆς τῶν πλοίων σωτηρίας talis potissimum notio indicari videtur.

Callimachus (Del. 257) Deliades in Latonae puerperio etiam carmen in Ilithyiam cantantes fecit, quod Olen composuisse ferebatur (Paus. I 18, 5; *B. C. H.* XIV 495, 3). Quod nescio an indicet vel Ilithyiae sacra postea Deliades sustinuisse.

Videntur Deliades initio fuisse Deliorum puellae festis diebus patrio deo inservientes. Sed iam in hymno Homerico artiore vinculo cum templo coniunguntur; paulatim vero collegium factae sunt. Similiter nescio an fuerit historia μολπῶν Milesiorum, qui Didymei Apollinis cultum susceperunt [1]. Gentilicia sacra iam novimus Atheniensium ὀρχηστῶν (Athen. X 424 f; supra 71). Ibidem fuere Eunidae saltatorum gens (Toepffer *Att. Genealogie* 181). Talia collegia maiorem dignitatem nacta sunt, cum mox exeunte quarto saeculo civium choreae abolitae cecidissent. Ac primum quidem, sicut par erat, elegantiores homines comicos choros spreverunt. Haud facile quemquam sine persona in pompis saltasse refert Demosthenes (19, 287). Plato vero comicas personas a servis vel peregrinis agi iubet (legg. VII 816 d sq.). Non multo post Theophrastus (char. 6, 3) ἀπονενοημένου esse iudicavit vel persona indutum comicam choream ducere [2]. Praeterea deorum in honorem saltari huius temporis homines paene obliti erant, ita ut Demosthenes in Midiae causa multis verbis exponere deberet sacram esse Dionysiorum choream (Dem. 21, 51).

---

[1] v. Wilamowitz *Berl. Sb.* 1904, 619 sqq.; Solmsen, Inscr. sel.[3] 48; Poland *Gr. Vereinswesen* 46**) e gentiliciis sacris eorum collegium crevisse coniecit. *Μολποί* praeterea Aegialae (IG XII 7, 415. 418) et Ephesi (*Öst. Jahresh. Anz.* 1902, 65) occurrunt.

[2] Ὀρχεῖσθαι .... προσωπεῖον ἔχων ἐν κωμικῶι χορῶι. Vix recte vulgo οὐ ante προσωπεῖον additur. Immo ridiculam larvam assumere belli homines aspernantur.

Accedebat, quod magis magisque crescente musica arte necessario simpliciores fiebant choreutarum motus, cum circa modorum difficultatem detinerentur. Iam Plato comicus queritur: *εἴ τις ὀρχοῖτ' εὖ, θέαμ' ἦν· νῦν δὲ δρῶσιν οὐθέν, | ἀλλ' ὥσπερ ἀπόπληκτοι στάδην ἑστῶτες ὠρύονται* (frg. 130, I 636 K.). Quae vulgo fuit artis Graecae sors, ut paulatim cives artificibus cederent, etiam in choris apparet. Singuli saltatores nunc primum locum tenebant, praemia accipiebant. Inter Dionysios artifices comparere incipit *ὀρχηστής*[1] (Ditt., Or. Gr. 51, 45). Victorem in *ἀγῶνι χορῶν* iuvenem novimus in lepida historia, quam ex Dicaearcho Plutarchus servavit (Alex. 67, 4; cf. Athen. XIII 603 a; Reisch *Realenc.* III 2, 2393 sq.). Tertio fere saeculo omnino saltationem in tragoediae choris cessisse Wilamowitz demonstravit (*Herakles* I¹ 131). Etiam in deorum feriis nunc hymni cantabantur sine saltatione[2]. Sed ubicumque tradita mutare non fas videbatur, collegia in civium locum successerunt. Tale novimus *κοινὸν τῶν περ]ὶ τὸν Πυθι[ον] Ἀπόλλωνα κορδάκων* Amorgi (IG XII 7, 246) imperatorum aetate. Sed in magnas incidimus difficultates. Nullos enim cordaces in Apollinis honorem ductos scimus; Wilamowitz (ad Inscriptionum Graecarum locum) eos cum antiquissima religione coniunxit, 'quam e. gr. Athenis et Therae *ὀρχησταί* exercebant' (cf. supra 71). Sed tunc de mutata vi vocis, quae est cordax, cogitanda est; certe grammaticus, qui cordacem ‚pyrrichae similem' dixit (v. supra 59), etiam aliam choream cum comica saltatione confundere potuit. Petronius

---

[1] Tamen forsitan hic sannio fuerit, sicut *σάτυρος* (supra 60, 1). Nam in titulo IG XI 2, 133 (anni 170 a. Chr.) l. 80 *ὀρχηστής* inter *θαυματοποιούς* et *νευροσπάστας* comparet, longe remotus a ceteris artificibus scenicis thymelicisque. Hic igitur certe proterva gesticulatione spectatores delectavit.

[2] Plerumque civitates, ut ferias *ἀξιοπρεπῶς* celebrarent, ephebis utebantur. Sed memorabile est iam numquam in his decretis de saltatione verba fieri (e. g. *Inschr. v. Magnes.* 98; Ditt., Or. Gr. 309; CIG 2715; cf. *Syll.*² 552, 28). Quare verisimile est hos choros cantasse tantum. Neque qui Minervae sacri erant chori Pergamenorum (*Inschr. v. Pergam.* I 167, 18), cum saltatione acti videntur. *Ὑμνῳδοί* quoque Asiae (cf. J. Keil, *Öst. Jh.* XI 1908, 101 sqq.) cantores putandi sunt neque obstare videtur *χοροστατῶν*, quem in eis commemorat Nicopolitana inscriptio aetatis imperatorum (*A. E. M. Öst.* XV 219, 110), cum nomen longius durasse quam ipsam rem verisimile sit.

vocis significationem novit, cum Trimalchionem Fortunatae cōrdacem laudantem induxerit (Petr. 52, 8); num Trimalchionem scire voluerit, possis dubitare. Qua de causa, quam saltationem Amorgii cordacis nomine appellaverint, in medio relinquo. Quos praeterea habemus *ὀρχηστάς* Cotiaei (Kaibel, Epigr. 362), eorum titulum neminem adhuc explicasse recte Kaibel iudicavit.

Civium chorea interdum munificentia divitum redintegrata est velut Pagis a Sotele (supra 37 sq.) vel ab Epaminonda Ptoi [1]. Videmus Smyrnae in Cereris sacris saltasse puellas imperatorum aetate [2]. Sed aegre parca testimonia invenimus. Revera his temporibus duo tantum fuerunt genera saltationum, alterum profanum scaenae atque theatris deditum [3], alterum sacrum, Bacchicum.

---

[1] *Τὰς . . . πατρίους πομπὰς μεγάλας καὶ τὴν τῶν συρτῶν πάτριο[ν] ὄρχησιν θεοσεβῶς ἐπετέλεσεν* (IG VII 2712, 66). Quae fuerit *συρτῶν ὄρχησις*, vix dicere possumus, etsi Boeckh (CIG I p. 793) a Leakio edoctus est etiam nunc huius nominis saltationem apud Graecos exstare (cf. Sittl *Gebärden* 228). Nam supra in pyrricha vidimus nomen, non rem durare. Propius ad verum accedere videtur Nilssonii sententia (l. s. 164), qui ad saltantium vestem provocavit (cf. syrma tragoedi Apul. apol. 13 p. 15, 20 H.; Carm. epigr. 1510, 1).

[2] CIG II 3200 (cf. Nilsson l. s. 315, 4). Laudant mystae duas puellas *τὰς θεολόγους, συνστεφανωθ[είσας δὲ καὶ τὴν μυστικὴν] ὄρχησιν* e. q. s. (supplevi; quae Boeckh dedit: *συνστεφανωθ[είσας τὴν] ὄρχησιν* spatium non explent).

[3] Quanta pro parte artifices civium saltatorum hereditatem adierint, lepido exemplo demonstrari potest. Putabant deorum sacris choreis qui interfuerint longam vitam consequi: Call. Ap. 12 sqq. *μήτε σιωπηλὴν κίθαριν μήτ' ἄψοφον ἴχνος | τοῦ Φοίβου τοὺς παῖδας ἔχειν ἐπιδημήσαντος, | εἰ τελέειν μέλλουσι γάμον πολιήν τε κερεῖσθαι.* Hic *τόπος* imperatorum aetate ad scaenae artifices devenit, in quibus sensu cassus est: in epigrammate Dessau 5264 = Carm. epigr. 1282 Aelia Saturnina lugetur, novem annos nata 'nec saltus vitam protulit aut choreae'.

Caput V

De saltatione ecstatica

Ter videmus in Graecae religionis historia excitationem divinam ab exteris gentibus redundare magnis quasi fluctibus in animos Graecorum: quo tempore Bacchus e Thraciae regionibus advena socordem hominum quietem perturbavit, deinde cum Phrygius Magnae Matris cultus Athenas advenit, tertium denique Alexandri temporibus, cum aliae aliaeque orientis terrae religiones indigetum deorum confundebant senectutem. In quibus omnibus saltationis eas fuisse partes, ut hominis animum a corpore solutum supremo nisu cum deo coniungeret, et liberaret a terrestris vitae miseriis, Erwinus Rohde exposuit (cf. *Psyche* II ^{2} 11 sqq.). Idem docuit hanc religionem e Thraciae regionibus primum in Graeciam advenisse; qua de causa nostra quoque disputatio inde proficiscatur. Multa fuisse apud Thraces huius saltationis nomina verisimile est; nos vix unum alterumve cognoscimus. Getas Zalmoxim deum veneratos esse, ad quem mortui pervenere beatam vitam acturi, Herodoti (IV 94 sqq.) aliorumque testimoniis notum est (*Psyche* II ^{2} 28 sqq., imprimis 29, 4). In cuius religione saltasse Getas Hesychi glossa demonstrat: *Σάλμοξις ὁ Κρόνος καὶ ὄρχησις καὶ ᾠδή*. Ecstaticas eius cultus partes iam Rohde enumeravit. Quibus addas saltationem, quae a deo nomen duxit, fortasse quia a sacerdote agebatur, quem ipsius dei nomine vocatum esse Strabo narrat (VII 298)[1]. Multo gravior

[1] *Τουτὶ δὲ τὸ ἔθος διέτεινεν ἄχρις εἰς ἡμᾶς, ἀεί τινος εὑρισκομένου τοιούτου τὸ ἦθος* (qualis fuerat Zalmoxis), *ὃς τῶι μὲν βασιλεῖ σύμβουλος ὑπῆρχε, παρὰ δὲ τοῖς Γέταις ὠνομάζετο θεός.* Qui Zalmoxidis vice fungebatur, nullus alius deus erat, nisi Zalmoxis ipse; cf. etiam Kazarow *Klio* XII 362,

alia est saltatio, cuius originem certo definire non possumus, sicinnis[1]. Et Arrianus quidem e Thracia eam oriundam dixit (ap. Eust. 1078, 20 sqq.; deest FHG III): ἦν δὲ καὶ Σίκιννις κωμικωτέρα, ἣν πρῶτοί φασιν ὠρχήσαντο Φρύγες ἐπὶ Σαβαζίωι Διονύσωι, ὀνομασθεῖσαν κατὰ τὸν Ἀρριανὸν ἐπὶ μιᾶι τῶν ὀπαδῶν τῆς Κυβέλλης νυμφῶν, ἧι ὄνομα ἦν Σίκιννις. Coniunctionem cum religione Dionysiaca testatur Euripides (Cycl. 37 sqq.) sicinnida Baccho satyros accinisse dicens, cum ad Althaeam deverteret. Convenit, quod sicinnis ἱερατική audit (schol. AB Hom. *Π* 617). Barbarum nomen esse Aristocles dixit (Athen. 630 b); quod alii Cretensem Sicinnum eius inventorem fuisse narrabant (Athen. l. s.), aperte ad eorum studia pertinet, qui omnis saltationis origines a Dorica, imprimis Cretensi, repetebant. Externae origini favet, quod Euripides vocem a ceteris geminata ν scriptam simplici littera extulit; scriptura in aliena voce variatur. Nomen proprium fuit servi, cuius ope Themistocles Persarum regem decepit (Her. VIII 75), quem posteriores Persam fuisse dixerunt (Plut. Them. 12, 3). Sed hanc fabulam quam maxime suspectam invenerunt, qui hominem cum Persis collocutum et Persarum linguae peritum sibi fingebant[2]. Plura edocemur insulae Σικύνθου nomine (Plut. soll. an. 985 a), cuius -νθ- ‚Caricae' gentis affinitatem prodit[3]. Qua re mihi verisimile videtur hanc saltationem

---

qui a dei invocatione tam carmen quam saltationem nomen accepisse coniecit.

[1] Vocem nuper tractavit Maiuri *Studi sull' onomastico cretese, Rend. dei Linc.* ser. V vol. 20, 1911, 640, qui armatis eam adnumeravit saltationibus collata Cypriorum σιγύνηι. Σικίννιδα cum σιγύνηι propter sonorum differentiam componi non posse apparet. Tamen recte idem vocis origiginem non Graecam esse suspicatus est, etsi quae in hanc sententiam attulit, iterum partim cum grammaticae rationibus pugnant.

[2] Eundem Σικανόν vocat Et. M. 712, 57 sicinnidis inventorem: ἡ ἀπὸ Σικανοῦ τοῦ Ἀθηναίων (immo Siculorum: St. B. v. Τρινακρία) βασιλέως, οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ παιδαγωγοῦ τῶν Θεμιστοκλέους παίδων Σικανοῦ. Sed haec glossa praeclare nos docet confudisse etymologici auctorem sicinnida cum Siculorum choris ἰαμβισταῖς (Athen. V 181 c; cf. I 22 c).

[3] Cf. A. Fick *Vorgriechische Ortsnamen* 59. Insulam Σίκινον (brevi altera!) Strab. X 484; schol. Apoll. Rh. I 623 melius segregamus. Σίκενδος, quod nomen attulere Fick et Maiuri, omnino non traditur. Lacus enim

Graecos sicut alia a Minoae artis auctoribus accepisse. Cum Bacchi religione vero postea demum coniuncta est. Sic melius intellegitur, cur in Cyclopis Euripideae parodo, quam sicinnida imitari poeta, ni fallor, indicat (Cycl. 37), pro ecstatico, quod exspectaveris, carmine *βουκολικὸν μέλος* audias venustum et tranquillum. Quod Aristoxenus eam satyrici dramatis propriam putavit, vix maioris momenti est, quam cetera eius commenta (v. supra 14 sq.).

Cum in tot silenorum satyrorumque saltantium picturis sicinnidis quoque motus delineatos esse plane certum sit, nullam tamen viam video, qua hanc a ceteris segregemus, quoniam testimonia nostra nihil nisi nomen servarunt[1]. Invicem in Maenadum choreis certam distinguimus consuetudinem, cuius nomen quidem ignoramus, non ita explicationem.

Videmus in vasculis recentioribus n. f. ornatis, deinde in rubrae picturae monumentis feminas exstatico motu saltantes, quae manus manicis abscondunt[2].

Thessalus Plin. N. H. VIII 227 Sicandrus vel similiter appellabatur (cf. Mayhoffii annotationem). De suffixo *-νι-*, *-νο-* in Phrygibus cf. Kretschmer *Einleitung* 329.

[1] Séchan ap. Daremb.-Sagl. *Dict.* IV 2, 1044 duos satyros rusticis motibus saltantes (fig. 6069) sicinnidem agere dixit. Quod perquam incertum est.

[2] Primus hanc consuetudinem notavit Jahn *Beschr. Münch. Vas.* n. 240*. Alia congessit Masner. l. infra allato Francisco Studniczka auctore. Denique Hartwich *Meisterschalen* 313, 1 nonnulla addidit. Propono laterculum ampliorem.

I. nigris figuris

1) Vindobonae. Urna artis recentioris. Masner *Kat. d. Vas. d. K. K. Mus.* 239. Femina manicis manus obtegens saltat ante aram. Ab eius tergo stat mensa, in qua hydria ferias indicare videtur.

2) Athenis. Collignon *Vases peints de la société archéologique* 374. Tibicen et feminae duae; ara in sinistra parte (tantum ex Masneri enumeratione mihi innotuit).

II. rubris figuris

A. severae artis

3) Berolini. Cylix, in cuius exteriore parte satyri et ‚maenades', quarum tres eo habitu, quem supra descripsi, saltant. Gerhard *Trinkschalen* tab. 7; Furtwängler *Beschr. d. Vasens. d. Ant.* 2532.

4) Londini. Cylix, in cuius exteriore parte Bacchus et eius sodales. Maenades eo, quo descripsi, habitu. Hartwig *Meisterschalen* tab. 43; *Br. Mus. Cat. Vas.* E 75.

Bacchi religioni ut hunc usum adscribam, eo commoveor, quod plerumque maenades cum satyris coniunctae sic depinguntur vel alio modo Liberi cultus indicatur. Profana huius saltationis exempla in posteriore demum arte occurrunt. Neque causa consuetudinis procul abest. Praesente deo manus quippe impuras abscondere solitos esse antiquos docuit A. Dieterich (*Kl. Schr.* 440 sqq.). Exemplis ab illo allatis hoc quoque addere omnium vetustissimum nullus dubito. Restat difficultas, quod Dieterichii exempla omnia ex oriente petita sunt; sed Deubner mihi indicavit n. f. posterioris artis vasculum (Graef *Ant. Vas. v. d. Akropolis* II tab. 67 n. 1220), ubi sacrificio Minervae oblato iuvenis et femina adsunt, qui dextera ramum gerunt, laevam paenula velatam salutantes attollunt; fuit igitur vel Graecus usus. Praeterea huc revocandus videtur mos manus sub paenula abscondendi, quem adulescentes in vasculis secuntur (cf. Plut. Phoc. 4, 2). Fidei Romanae dextra velata faciunt (Wissowa *Rel. u. Kult.*² 134, 1). Diutius quam testimoniis supra allatis apparet, hoc saltandi genus viguit. Notae sunt feminae velatae, quae inde a quarto saeculo in vasculis, operibus figlinis, speculis comparent[1]. Caput manusque magno pallio involverunt, quod leporem artemque adderet saltationi.

5) Monachi. Brygi patera. In thiaso duae nostri generis maenades, Furtwängler-Reichhold tab. 49. Jahn *Beschr.* 332.

6) Parisiis. *Cabinet des médailles.* Patera. Bacchi thiasus. Hartwich *Meisterschalen* tab. 32.

7) Raoul Rochette *Monuments inédits* tab. 44 b. Bacchus et Maenas.

B. pulchrae artis

8) Londini. Bacchus agnum lacerans ante aram; satyri et maenas manibus velatis. Panofka *Musée Blacas* tab. 15; *Br. Mus. Cat. Vas.* E 262.

9) Amphora. Reditus Volcani. In thiaso duae maenades manibus velatis. *Mon. dell' Inst.* Suppl. 1891 tab. 24.

C. liberae artis

10) Astragalus. Feminae volantes, quarum duae manibus velatis. Stackelberg *Gräber der Hellenen* tab. 23. — Sequantur duo, quae mihi e Masneri laterculo tantum innotuerunt:

11) Neapoli. Heydemann 3172 A.

12) Micali *Mon. ined.* 46, 8 = Schöne *Museo Bocchi* tab. 3, 1.

Eandem saltationen in Adonidis religione offendimus (infra 100).

[1] Nonnulla congessit Heydemann *Über eine verhüllte Tänzerin.* 4. *Winckelmannsprogramm* Halis 1879. Cf. Heuzey *Recherches sur les figures de femmes voilées dans l'art grec* (*Monuments Grecs* 1873/74); idem

Quas saltatrices cum hoc more coniungendas esse apparet e vasculo r. f. pulchrae artis (Stackelberg *Gräb. d. Hell.* tab. 35). Femina vestita chitone et pallio, quod manus quoque protegit, saltat tibicine accinente ante aram, in qua sacrificium comburitur. Tenemus in hoc monumento quasi vinculum, quo velatae feminae cum bacchica illa saltatione coniunguntur. Similiter in extremae artis vasculis feminarum manus quidem pallio, non manicis obteguntur, sed caput nudum est (Inghir. *Vas. fitt.* III tab. 273; Stackelberg *Gräber d. Hell.* tab. 23). Priore quarti saeculi parte Calamidis Sosandram, velatarum mulierum praeclarum exemplum, factam esse Studniczka (l. s. 33) censet. Etiam in feminis operto capite saltantibus Bacchae antiquioribus praesertim temporibus primum locum tenent [1]. Ante Dianae simulacrum mulier velata saltat in gemma Coloniensi (Studniczka l. s. tab. 1 c). Apparet has non genere a prioribus, quae solas manus obtegunt, diversas esse, sed varios saeculorum vestitus in eodem tamen ritu exhibere. Sic demum qua ratione singula genera singulis aevis fere definiantur, intellegimus. Raras enim in vetustioribus monumentis invenias, quae pallium portent, nullas in postremis, quae manicis manus abscondunt. Postquam vero in his quoque, quae sacra fuit saltatio, profano usui conviviorum sese applicuit (e. g. Inghir. *Vas. fitt.* III 273), nesciae oblitaeve antiqui ritus manus interdum liberabant solius elegantiae studiosae, velut in pulchra statua aenea Taurinensi, quae Heydemanno causa fuit, cur hanc quaestionem persequeretur [2]. Originem tamen huius saltationis e Bacchi religione me recte repetivisse spero.

Danseuse voilée d'Auguste Titeux, *B. C. H.* XVI 1892, 73 sqq. Emmanuel *Danse grecque antique* Paris 1896, 205 sqq., etsi multa admiscuit, quae non huc pertinere facile apparet. Studniczka *Kalamis* 26 sqq.

[1] Vascula Heydemann l. s. 6 B. E. F. G, adde cratera Monacensem Furtw.-Reichhold tab. 80, 1; specula Heydemann 8 M. P; cista ib. N; Studniczka l. s. 27, 5. Explicatione supra allata eiusdem dubitatio, num votivae statuae, qualis Sosandra fuit, apta sit haec saltatio, removetur.

[2] Graecum nomen huius saltationis nescimus, sed Plautus bis ‚cum palla, palliolatim saltare' dixit (Pseud. 1274; Men. 197), procul dubio exempla Graeca secutus. Glossam e Plauto decerptam Fronto 157, 5 N. ad pantomimum rettulit.

Tam valida erat Graecorum vetusta religio, ut necessario Bacchica quoque sacra recipiendo superaret Graecisque adiungeret institutionibus. Sed eadem causa fuit, cur mox ne ipsa quidem animis excitationis cupidis satisfaceret. Cui desiderio duobus modis indulgere poterant. Aut externis sese dederunt deis, aut in ecstaticas ferias, quae ne a Graecorum quidem religione plane aberant[1], studia comportabant. Utrumque factum est. Pani vulgo nullae publicae feriae celebrabantur, sed privatim eius *ὄργια μετὰ κραυγῆς* feminae agebant, quae quanto in favore fuerint, e Lysistratae initio (2, cf. schol. = Suid. s. v. *Πανικῶι δείματι*) apparet. Scilicet Pan, qui hominum mentes divinitus perturbat[2], vel ecstasin eis mittit (supra 42, 2). Sed plurimum illis temporibus novae religioni sese applicabant, quae Asiae e regionibus in Graeciam advena et Pana et alios eiusmodi deos adiungebat matris deum thiaso[3].

Cui iam in Asia eodem modo Corybantes accesserant, quorum orgia antiquissimis temporibus sui iuris fuisse tituli probe docent (v. Wilamowitz *Nordion. Steine, Abh. Berl. Ak.* 1909, 23 sqq.). Propter hanc Corybantum turbam dea Phrygia seiungenda est tam a Cybela, cui Attis socius est, quam a genuina Graecorum matre, quae cum Pane Nymphisque consociatur (cf. Rapp *Rosch. Lex.* II 1, 1660 sq.; Preller-Robert *Myth.*[4] 651). Ecstaticum cultum a Graeca dea vulgo alienum credunt. Cui sententiae favet, quod ubicumque ecstaticae saltationes reperiuntur, innovatam videmus Matris religionem aut de integro institutam (cf. Hepding *Attis* 135). Sed parcioribus testimoniis innitimur.

Thebis Matri templum exstruxisse fertur Pindarus (schol. Pyth. III 137 ex Aristodemo; Paus. IX 25, 3), qui virginum nocturnas choreas commemorat. In ectypo Tanagraeo quinti

---

[1] Praecipue in Dianae cultu, cf. Nilsson *Gr. Fest.* 184 sqq.; 211 sq. et saepius.

[2] Unde *πανόληπτοι* vocantur (Mim. *Ox. Pap.* III n. 413 = Herond. ed. min.[4] Crus. 115 l. 173).

[3] Cf. de Panis et Cybeles coniunctione Pindari testimonium Pyth. III 137 sqq.; frg. 95 Schr. et quas recentiorum dissertationes commode congessit Jacoby *Marmor Parium* 49.

saeculi ante matrem deum ad tympanorum sonum saltant puellae (*A. M.* III 1878, 390 sqq.). Tardius tamen vulgo recepta videtur, cui rei imprimis fidem praestat nulla eius nomina theophora quinto quartoque saeculo in Graecia ipsa reperiri[1]. Cum enim in Asia iam sexto saeculo Herodotus afferat Metrodorum tyrannum (IV 138), Metrotimum Hipponax (frg. 78 B.), Metrodorum Lampsacenum in antiquioribus Homeri interpretibus enumeret Platonis Ion (530 c), in ipsa Graecia, ubi inscriptiones in Asia hac aetate fere deficientes auxilio nobis veniunt, nullum quinti vel quarti saeculi certum habemus exemplum. Nam Metrobius scriba (Crat. frg. 1, I 11 K.) non a deorum matre nomen accepisse videtur. Qua de causa qui unus nobis innotuit *Μάτρῡν* Tanagraeus (IG VII 585 = Solmsen, Inscr. sel.[3] 14 c 9), procul dubio non e *Ματρόδωρος* vel simili nomine breviatus est[2]. Metrodorus IG II suppl. 1012 c 9 (V/IV s.) Atheniensis an externa de gente sit, ignoramus. Cetera exempla non antiquiora sunt tertio saeculo vel quarto exeunte, Athenienses IG II 859 a 59; 2570; IG II suppl. 952 b 10; IG VII 302; Megarenses IG IV 926; VII 42; Oropius IG VII 299; Argivi IG II 963, 42; IV 1506, 34 (?); Cephallen IG IX 1, 627. Metrodorum tituli Corcyraei IG IX 1, 691, 3 non civem esse monuit Stenzel (in indice *G. D. I.* IV 413). Reliqua, quae mihi innotuerunt exempla, alterius saeculi sunt vel recentiora. Sequitur theophora nomina non a Graeca Matre ducta esse, sed a Phrygia, cuius religio in

[1] Sittig, De nominibus theophoris, diss. Hal. 1911, 148 sqq. regionum magis quam temporum quaestioni curam impendit.

[2] Habemus enim plena nomina Megarensia *Ματροκλῆς* (IG VII 8. 9. 10) et *Ματρόξενος* (IG VII 27. 31). Neutrum cum Magna Matre cohaeret: *Ματροκλῆς*, qui matre clarus est, *Ματρόξενος Spurius*, qui matrem peregrinam habet; adiectivum apud Rhodios pro *νόθοις* dicebatur teste Aristophane (Fresenius, De *λέξεων* Aristoph. et Suet. excerpt. Byz. 123), Atticis omnino defuit. Nomen proprium praeterea IG XII 5, 1, 186, 29 cum Wilhelmio (*A. M.* XXIII 1898, 439) restituere malim, quam quod Hiller v. Gaertringen dedit *[Π]α[τ]ροξένα*, cuius vocis exempla desideramus. Accedit laterculo Solmseni *Beitr. z. Gr. Wortf.* 104, qui eiusdem significationis nomina congessit. In Megaride nomina a *Ματρο-* incipientia frequentiora esse iam annotavit Baunack ad *G. D. I.* 2838, qui per errorem de Eleusinia dea cogitavit.

ipsa Graecia ante quarti saeculi finem sodaliciis quidem nonnullis accepta fuit, sed tum demum vulgi quoque favore florere coepit.

Iam, quae fuerint in his orgiis partes saltationis, videamus. Proficiscendum est a Platonis notissimis verbis de *θρονώσει* (Euthyd. 277d): *ποιεῖτον δὲ ταὐτόν* (Euthydemus et Dionysodorus), *ὅπερ οἱ ἐν τῆι τελετῆι τῶν Κορυβάντων, ὅταν τὴν θρόνωσιν ποιῶσι περὶ τοῦτον, ὃν ἂν μέλλωσι τελεῖν. καὶ γάρ ἐκεῖ χορεία τίς ἐστι καὶ παιδιά . . . καὶ νῦν τούτω οὐδὲν ἄλλο ἢ χορεύετον περί σε καὶ οἷον ὀρχεῖσθον.* Circum novum mystam in scamno[1] sedentem saltant initiati. Platonis contextu efficitur haec sacra fieri, quo dignus fiat orgiis reconditis. Idem ritus indicatur Aristophanis versibus Vesp. 119sqq.: *εἶτ' αὐτὸν* (Philocleontem) *ἀπέλου κἀκάθαιρ'· ὁ δ' οὐ μάλα. μετὰ τοῦτ'* (*τοῦδ'* R *ταῦτ'* cett.: V) *ἐκορυβάντιζ', ὁ δ' αὐτῶι τυμπάνωι ἄιξας ἐδίκαζεν εἰς τὸ Καινὸν ἐμπεσών.* Verbum transitivum *τοῦ κορυβαντίζειν* nihil aliud significare potest nisi initiare Corybantum sacris, neque pugnat, quod in eodem versu iam ipse tympanum gerens Corybantum mysta videtur. Eodem modo, quo cetera *καθάρματα*, vel saltatio frustra fuit; iam in Corybantum satellites receptus senex rursus vesaniae succumbit. Tertium testimonium est, ni fallor, Hesychii glossa *περιχορίζειν·*[2] *ἐνόπλως, συντόνως ὀρχεῖσθαι*, quam huc rettulerim propter arma[3].

Ritus ratio in propatulo est. Mystam purum esse decet et ab omni numinis malitia tutum. Quare armati circum eum

---

[1] Cf. Dieterich *Rh. Mus.* XLVIII 1893, 276 = *Kl. Schr.* 118. Pindarus *ἐνθρονισμούς* composuit teste Suida s. v. *Πίνδαρος*.

[2] Ad formam terminationis notandum saepius verba a substantivis in *-ος* derivata variare inter *-ίζειν* et *-εύειν* velut *καθαρίζω — καθαρεύω, ἀπονηστίζομαι — νηστεύω, κορεύεσθαι — κουρίζεσθαι, ὀρθρεύει Ἀττικοί, ὀρθρίζει Ἕλληνες* Moeris. Eadem vox *χορίζειν*, ni fallor, duobus praeterea locis restituenda, apud Hesychium s. v. *χωρονομεῖ· ὀργίζεται* quod Bentley in *χειρονομεῖ· ὀρχεῖται* emendavit, ubi equidem *χορίζεται* praetulerim, et schol. Luc. Prol. 5 p. 9, 23 Rabe *τὸ κορυβαντιᾶν σημαίνει τὸ θεοφορεῖσθαι, τὸ ἐκφορεῖσθαι ἤτοι τὸ †χορτάζεσθαι†*, ubi aut *χορίζεσθαι* scribendum aut *χοριάζεσθαι*. **Χοριάζομαι: χορίζομαι = κορυβαντιάζω: κορυβαντίζω = μητριάζω: μητρίζω* et multa alia.

[3] Cf. Dio or. 12, 33 I 163, 26 A. *καθάπερ εἰώθασιν ἐν τῶι καλουμένωι θρονισμῶι καθίσαντες τοὺς μυουμένους οἱ τελοῦντες κύκλωι περιχορεύειν.*

choreas ducunt lustrandi gratia. Non aliter in comoedia nova circumferendi usus adhibebatur, quo lymphaticos sontesque purgarent. Unum affero exemplum Aristophanei loci plane gemellum: 'quaeso, quin tu istanc iubes pro cerrita circumferri' (Plaut. Amph. 775 sq.; cf. Marx ad Lucil. frg. 64; Deubner *Arch. Rel.-W.* XVI 1913, 128 sq.).

Ab hoc initiandi ritu discernenda est saltatio mystica, quae et ipsa animos a vesania liberare putabatur *τῆι τῶν τοιούτων παθημάτων καθάρσει* (Rohde l. s. II 48, 1). Sic Hesychius *κορυβαντισμός· κάθαρσις μανίας* (*καθαρισμωνίας* cod.: corr. Meineke). Haec sacra Plato indicat in Phaedro (244 d sq.) *νόσων γε καὶ πόνων τῶν μεγίστων, ἃ δὴ παλαιῶν ἐκ μηνιμάτων ποθὲν γέγονεν, μανία ἐγγενομένη καὶ προφητεύσασα οἷς ἔδει ἀπαλλαγὴν εὕρετο, καταφυγοῦσα πρὸς θεῶν εὐχάς τε καὶ λατρείας, ὅθεν δὴ καθαρμῶν καὶ τελετῶν τυχοῦσα ἐξάντη ἐποίησε τὸν ἑαυτῆς ἔχοντα, . . . λύσιν τῶι ὀρθῶς μανέντι τε καὶ κατασχομένωι τῶν παρόντων κακῶν εὑρομένη.* Eodem modo Clytaemestra domui Atridarum magnis sceleribus afflictae *ἰατρὸν ἐλπίδα βακχείας καλῆς* (Aesch. Choeph. 697) desideravit.

Hanc ob causam, quae a vesania homines liberaret Magna Mater iam satis vetustis temporibus imprimis sanitatem hominum tueri putabatur. Scilicet, quod saltatione efficiebatur, deae donum arbitrati omnis valetudinis causas ad eam referebant. Pindarus in tertio carmine Pythio dolet Chironis sapientiam non iam prodesse aegris hominibus cum Hieroni aegrotanti victoriam quidem partam renuntiare possit carmen, redintegratam valetudinem non aeque: *ἀλλ' ἐπεύξασθαι μὲν ἐγὼν θέλω Ματρί, τὰν κοῦραι παρ' ἐμὸν πρόθυρον μέλπονται* (Pyth. 3, 137). Tunc demum huius loci sententiam recte capimus, cum Matris deum in potestate hominum valetudinem fuisse animum inducimus [1]. Sed fidem fortasse non tam temporum illorum quam unius Pindari prodit non iam opera sed preces animos deorum movere. Mox tamen alia eiusdem religionis exempla occurrunt. Diogenes tragicus (frg. 1, 5 p. 776 N.²) Matrem *σοφὴν θεῶν ὑμνωιδὸν ἰατρόν τ' ἅμα* vocavit, Antiphanes

[1] Recte scholiasta: *παρόσον δοκεῖ τῶν νόσων αὐξητικὴ καὶ μειωτικὴ εἶναι* (p. 80, 14 Dr.); cf. praeterea de huius loci interpretatione v. Wilamowitz *Berl. Sb.* 1901, 1298.

(frg. 154, II 74 K.), quomodo divinam aegroto adhibuerit medicinam, narravit. Imperatorum aetate mater Athenis *ἰατρίνη* audit in dedicationibus tam virorum[1] quam feminarum (IG III 134—137). Sabazium similiter medici partes egisse scimus, ex quo praecipue Blinkenberg aeneas manus votivas illi dedicatas esse docuit (*Archaeol. Stud.* 66 sqq., imprimis 102 sq.). Sic ecstatica saltatione nova Magnae Matri provincia evenit. Neque tamen sacra chorea cessit. Sed non iam ipsos deam adire necesse videbatur, aliorum quoque precibus salutem sese impetraturos esse sperabant. Immo cogi posse magicis motibus deam sibi persuaserant. Quam sententiam impugnavit Menander poeta superstitionis inimicissimus in Sacerdote: *οὐδεὶς δι' ἀνθρώπου θεὸς σώιζει, γύναι, | ἑτέρου τὸν ἕτερον· εἰ γὰρ ἕλκει τὸν θεὸν | τοῖς κυμβάλοις ἄνθρωπος εἰς ὃ βούλεται, | ὁ τοῦτο ποιῶν ἐστι μείζων τοῦ θεοῦ* (frg. 245, III 70 K.). Vides igitur, quam artis vinculis medica vis deae cum ecstasi cohaereat.

De huius saltationis motibus quoque nonnulla traduntur. Comparavit enim Dionysius in carmine de avibus (I 23 p. 112 Lehrs) frutillarum (*ἰύγγων*) motum cum saltatoribus: *συνεχῶς δὲ τοὺς τραχήλους κινοῦσι, ὡς οἱ τῶν ἀνδρῶν διαδεχόμενοι* (malim *ἀναδ.*) *καὶ θηλυδριῶν* (*θηλύδριαι* Par.) *βακχεύειν* (*βακχευταί* cett.: Par.) *ἐπὶ τῆς τελετῆς τῆς Ῥέας εἰώθασιν.* Hunc capitis motum ex auctore Romanorum temporum[2] recte nos referre ad quintum saeculum demonstrant Eur. Iph. Aul. 757 et quae Rohde congessit (*Psyche* II² 11, 3). Idem hoc praecipue motu *ἔκστασιν* effici docuit. De *δινήσει* iam supra 23 egi. Apparet nullam aliam religionem magis aptam fuisse, quae privatis sodaliciis excoleretur. In his Bacchi religioni intactae a publica auctoritate antiqua manebat saevitia[3], in haec deum matris asseclae vulgo a civitatibus spreti sese recipiebant. Revera longe antiquissimum *θίασον*, si a *μολποῖς* Milesiis recedas, offendimus Bacchi nomine appellatum Cumis quinto saeculo, ubi nuper

[1] Qua de causa *ἰατρίνη* vix pro obstetrice accipiendum.

[2] Cf. etiam Ov. Fast. IV 243; Lampr. Vit. Heliogab. 7, 1; Maecen. frg. 4 Lunderstedt.

[3] Praeterea vestigia ecstaseos restabant in trietericis sacris, in quibus praecellunt Parnasiae feriae.

titulus inventus est οὐ θέμις ἐντοῦθα κεῖσθαι (ε)ἰ μὲ τὸν βεβαχχευμένον [1]. Apparet hoc sepulcrum communi sumptu ab aliquo θιάσωι exstructum esse Βακχιαστῶν. Sed antiquitatis signum est nondum inventum hoc nomen [2]. Simul βεβακχευμένον vox nos edocet, quanto severius hoc aevum in religione excolenda fuerit, quam seri nepotes. Recte enim Comparetti (*Ausonia* I 15) hoc perfecto βακχέα significari dixit rite initiatum, i. e. ecstasi revera βάκχον factum, non ναρθηκοφόρον tantum. Neque sine causa communi sepulcro conduntur. Herodotus enim (II 81) narrat certa fuisse Bacchis Orphicis praecepta in sepeliendis mortuis. Quae ut nullo profano turbante observare possent neve puri impuris miscerentur, hoc sepulcrum exstruendum curaverunt (sic iam Comparetti *Laminette* l. s.). Secuntur longo temporis intervallo cetera collegia. Athenis et Dionysiastarum et Matris Phrygiae celeberrimos thiasos offendimus tertio vel altero saeculo (cf. Poland *Griech. Vereinswesen* 10 sqq.; 197; 214). Fortasse tamen huc referendum iam quarti saeculi exeuntis monumentum Ἐφ. ἀρχ. 1910, 17, de quo benigne me monuit R. Wünsch. Trozene decretum habemus tertii saeculi exeuntis ἔδοξε τοῖς τελεστῆρ[σι τᾶς Μεγάλα]ς Ματρός (IG IV 757 b 10); Dionysiastae altero a. Chr. saeculo Tanagris occurrunt (IG VII 686). Eodem tempore Therae Βακχισταί inveniuntur (IG XII 3 suppl. 1296); Rhodi tam Matris (IG XII 1, 162), quam Bacchi (IG XII 1, 155, 43; 937, 3) vestigia premimus. Pario epigrammate edocemur Magnae Matris sacellum privata munificentia exstructum esse (IG XII 5, 240: alterum a. Chr. saeculum tam scriptura quam numeris indicatur): σοὶ τόνδ' ὦ Φρυ[γίη] ναὸν περικαλλέα σεμ[νῶι] | Βήσης ἐν δαπέδωι [στῆσεν Ἀριστοκράτης] (extremum hemistichium ex. gr. supplevi). Accedit praeterea magna collegiorum turba imperatorum aetate, quae nihil novi docent.

Sed iterum redeamus Athenas et ad belli Peloponnesiaci tempora. Ut enim Atheniensium vires creverunt, alii aliique

---

[1] *Not. degli Scavi* 1905, 377. Lectionem rectam eodem tempore dederunt Haussouiller *Rev. de phil.* XXX 1906, 141 sq. et Comparetti *Ausonia* I 1907, 13 sqq. Idem *Laminette orfiche* 47 sqq.

[2] Tertio etiamtum saeculo Cnidi ‚Bacchi' tantum audiunt θιασῶται (Ditt., Syll.[2] 561; cf. annot. 2).

in urbem venerunt dei, a mulieribus imprimis exculti. Sabazius quoque orgia sua Atticae intulerat (Ar. Vesp. 9; Lys. 388; Av. 874; frg. 566, I 535 K.; cf. frg. 878, I 587 K.), quorum studium Aristophanis probulus feminis exprobrat (Lys. 388). Neque aliter qui saeculo fere post de eis loquitur Demosthenes (18, 260), omnium bonorum contemptu eos iacere dixit. Discimus Aeschinem in his mysteriis saltasse ecstatico clamore ὑῆς ἄττης[1], παρείας serpentes manibus gestantem (quos cum Sabazio coniunctos esse Theophr. Char. 16, 4 docet). Demosthenes eum haec fecisse contendit, quo maiore pietatis fama apud anus nonnullas ferretur. Qua re fortasse efficitur in hac religione non omnem mystam a divino spiritu correptum saltasse, sed eos tantum, in quibus prae ceteris dei gratia apparebat (cf. infra 102). Sed hoc sane incertum, cum, quid de oratoris fide iudicandum sit, admodum dubium videatur: dei Thracii religionem paucis tantum suffecisse rara eius per Graeciam vestigia melius quam Demosthenis convicia demonstrant. Sabazii eranistas altero fere saeculo in Piraeo offendimus (IG II Suppl. 626 b). Cetera aut incerta aut imperatorum temporis[2]. Alia quoque Thracia dea videtur quinto saeculo Atticam sibi civitatem adrogasse, Cotyto. Ecstatica eius fuisse orgia testimonia, quae Lobeck (Aglaopham. 1014) congessit, docent. Etiam Asia suos deos tunc Athenas misit. Cum in Siciliam profectura classis pararetur, Attidis asseclae primum vicos Atheniensium perstrepebant (Plut. Nic. 13, 2[3]; Theopomp. frg. 27, I 740 K.).

---

[1] Sensus huius formulae vix dubius esse potest. Sabazium ὑῆν vocari testis est schol. Ar. Av. 874, unde idem Baccho evenit nomen (Euphor. frg. 13, 1 Scheidw. et quae congessit Lobeck, Aglaophamus 1045 sqq.); ἄττης nomen balbum pro patre, de quo cf. Kretschmer *Einleitung* 350. Invocat igitur Sabazium patrem, vel eum esse mystarum patrem praedicat; cf. Dieterich *Mithrasliturgie* 134 sqq. Cur Ἄττην cum Attide coniungamus, quod primus Harpocrat. s. v. fecit, nulla causa est; cf. Diet. l. s. 217. De accentu vocis ὑῆς v. Hdn. I 59, 20 Lentz.

[2] Alia res erat in ipsa Thracia Phrygiaque, ubi cultum Sabazii Arrianus etiamtum ipse vidit FHG III 595.

[3] Hunc locum ad Phrygia sacra primus recte rettulit P. Foucart *Associations religieuses* 64.

Eodem tempore Atheniensium mulieres deum venerari coeperunt, quem iam Sapphus temporibus Lesbiae lugubri carmine celebrarunt, Adonidem (frg. 62 B.). Qua de causa operae pretium est considerare, unum quod videtur esse Adonidis nomen theophorum *Γαυδότου* (*G. D. I.* II 2644, 1, saec. II a. Chr.)[1] illi Asiae regioni deberi. Praxillae de carmine quae narrantur (Zenob. IV 21 et Gott. ad h. l.), incertiora sunt. Atticum cultum iterum Comici commemorant, Aristophanes (Pax 420; Lys. 389, unde fluxerunt Plut. Alc. 18, 5; Nic. 13, 7) et Plato, qui totam comoediam in illum composuit (frg. 1 sqq., I 601 K.). Saltasse mulieres in eius cultu e vasculis Atticis nuper docuit Hauser (*Oest. Jahresh.* XII 1909, 97 sq.). Saltatio etiam postulatur Cratini ioco (frg. 15, I 16 K.): *ὃς οὐκ ἔδωκε αἰτοῦντι Σοφοκλέει* (*Σοφοκλεῖ* A: Mein.) *χορόν*, | *τῶι Κλεομάχου δ', ὃν οὐκ ἂν ἠξίουν ἐγὼ* | *ἐμοὶ διδάσκειν οὐδ' ἂν εἰς Ἀδώνια* (*Ἀδώνεια* A: Mus.), ubi publicis feriis privata Adoniorum carmina opponuntur[2]. In exemplis ab Hausero congestis iterum saltatrices manibus velatis saltant, qua re, quae supra de Bacchico ritu dixi (91 sqq.), confirmantur. Nomen quoque huius choreae non ignoramus. Fuit Phoenicius tibiarum modus et saltatio *γίγγρας* (Trypho ap. Athen. 618 c; Poll. IV 102; cf. Hes. s. v. *γίγγρος*). *Γίγγρας* vero nomen fuisse Adonidi testatur Democlides (Athen. IV 174 f; cf. Poll. IV 76 ex Tryphone). *Γίγρωνα ἀφροδισιακὸν δαίμονα* vocat Pausanias (ap. Eust. 1880, 61, frg. 108 Schwabe). Adonidem a tibiis hoc nomen Graecum accepisse, non invicem, ipsa onomatopoëtica quam appellant vox demonstrat (cf. Walde *Lat. etym. Wörterbuch*[2] 342; Boisacq *Dict. étym.* 157). Saltatio num initio hortulorum Adonidis segetem promovere debuerit (cf. Frazer *Golden Bough* I[3] 137 sqq.; II[3] 106), nescimus. Apud Graecos luctum propter dei praematuram mortem exprimebat (Ar. Lys. 389). Numquam profecto huic saltationi

---

[1] *Γαύας ὁ Ἄδωνις παρὰ Κυπρίοις* schol. Lycophr. 831 p. 265, 25 Scheer. Nulla ab Adonide ipso formata nomina theophora exstare annotavit Sittig, De nominibus theophoris 107. Fuitne deus *Γαύας* Achivus Cypriis et Asiaticis Aeolibus communis, similis Adonidis, non idem? Baudissin quidem (*Adonis und Ešmun* 82, 3) Phoenicium esse nomen coniecit, sed cf. Baunack ad *G. D. I.* l. s., qui *γαῦσος, γαίω* comparavit.

[2] *Ἀδωνίδια μέλη* commemorat Proclus chrest. 246, 3 W.

mysticus sensus infuit, quemadmodum Bacchicae vel Corybantiae. Non ut animum cum deo consociarent, sed ut excitationis voluptati ad satietatem indulgerent, saltabant mulierculae.

In hac tanta peregrinarum religionum farragine[1] causas quaerere decet, quae eas exeunte quinto saeculo Athenas deduxerint. Et primum quidem in urbem totius Graeciae longe celeberrimam suam quisque mercator apportabat religionem. Deinde hoc tempore tam miseriis publicis quam studiis sophistarum adducti sunt homines, ut innovata fide deos amplecterentur (cf. v. Wilamowitz *Griech. Tragoed. übs.* III ^{2} 293 sq.). Utriusque rei indicium est vel peregrinorum cultus deorum.

Iam si ad Alexandrinae aetatis saltationes devertimur, in magnas incidimus difficultates. Tituli enim parca tantum ambiguaque praebent documenta, neque poetarum testimonia omni dubitatione libera sunt atque exempta. Adonidis cultum huic aevo cordi fuisse Theocriti (XV) et Bionis carmina demonstrant. Sed vix casu factum est, quod parcius de eo tituli locuntur (collegia congessit Poland l. s. 216). Feminarum deus nullis collegiis, sed domibus potius colebatur. Eadem de causa pauca eius sacella novimus velut Argis, ubi Iovi adiunctus fuisse videtur (Paus. II 20, 6), fortasse etiam Dii, etsi qua ratione illuc rettulerit scholiasta Theocriti (V 21) narrationem de Hercule mollem deum contemnente non liquet. Interdum meretrices privata sacra ei agebant (Athen. X 451 b ex Diphilo; Diph. frg. 43, 39, II 553 K.). Quarto etiam p. Chr. saeculo Ammianus Antiochiae feminarum planctum audivit (XXII 9, 15). Idem alibi lectores suos haec sacra bene cognita habere sumit (XIX 1, 11). Sed raro ultra orientalem imperii partem processisse videtur Adonis[2], neque umquam

[1] Cf. praecipue P. Foucart *Associations religieuses* 55 sqq.; Lobeck, Aglaoph. 627 sqq. Tertio demum saeculo accedit dea Syria Atargatis (Cumont *Realencycl.* IV 2238).

[2] Testimonia cultus in Syria Asiaque collegit Baudissin l. s. 82 sqq. Quod sacerdotem eius in Africae provincia proconsulari offendimus (CIL VIII 1211) tam mirum est, ut recte Toutain *Cultes païens dans l'emp. Rom.* I 2, 49, 1 de Carthaginiensi deo cogitaverit. Praeterea eius nomen in gemma Dalmatica (CIL III 10188, 29) et in Pannonia legitur (ibid. 10392 = Dessau 4273).

cum potentioribus huius aevi religionibus pugnare valuit. Defuit eius sacris doctrina magis recondita, quae animos de mundi causis rationibusque anxios allicere posset.

Longe alia res erat in ceteris ecstaticis saltationibus. Maximo enim temporum favore et summa vulgi admiratione ad exitum antiquitatis vigebant. Usque ad finem imperii feriae ecstaticae agebantur [1], imprimis in Asia et Thracia. Ancyrae Minervae et Dianae simulacra quotannis comitabantur *γυναικῶν ὀρχησμοὶ λελυμένους ἐχουσῶν τοὺς πλοκάμους ὥσπερ μαινάδες* (pass. s. Theodosii, Brinkmann *Rh. Mus.* LX 1905, 160). Diocletiani temporibus Amphipoli etiamtum Libero patri Bacchicae feriae aguntur (pass. s. Mocii 1, Anal. Bolland. XXXI 163). Sane magna Mithrae et Isidis mysteria talia subsidia spreverunt, neque ulla in eis ecstaticae saltationis vestigia reperiuntur [2]. Sed qui miseram plebeculam captabant deae Syriae sacerdotes, metragyrtae et similis farinae homines, veram vel simulatam insaniam ostentant, quo maiore honore habeantur [3]. Est enim ecstasis *θεοῦ προσηγορία καὶ εὐχαριστία* (Artemid. Onir. II 37, p. 141, 17 H; cf. [Luc.] salt. 79). Sic Alexander Abonotichita in medium forum se proripuit *σείων ἅμα τὴν κόμην ὥσπερ οἱ τῆι μητρὶ συναγείροντές τε καὶ ἐνθεαζόμενοι* (Luc. Alex. 13). Vetusta bacchatio omnibus patuit, etsi in multis *ναρθηκοφόροις παῦροι* erant *βάκχοι.* Nunc soli ‚fanatici' saltant in triviis stipem collecturi a spectatoribus (Luc. Luc. s. asin. 37 = Apul. Met. 27 sqq.; cf. Babr. 141 = Phaedr. IV 2 [78 Hav.]). Haec erat deae Syriae religio contaminata cum metragyrtarum consuetudine. Neque tamen semper in trivia descendit sacra saltatio. Magnae Matris Attidisque cultores in templis gallabantur, ut ait Varro (sat. Men. 119; 132; 150 B.). In Oriente Graeco vero theatra rursus deorum religioni inserviebant, quemadmodum anti-

---

[1] *Χορεύειν* his temporibus non iam saltare valet, sed bacchari. Artemid. II 37 p. 141, 12 H.; Hdn. hist. V 5, 8; cf. Hes. *χορεύει . . . βακχεύει.*

[2] De *κατόχοις* Sarapidis cf. nunc Reitzenstein *Hell. Mysterienreligionen* 72 sqq.; Wilcken *Chrestomathie d. Papyruskunde* I 2, 130 sq.

[3] *Μόνον εἰ φανείη τις αὐλητὴν ἢ τυμπανιστὴν ἢ κυμβάλοις κροτοῦντα ἐπαγόμενος . . . αὐτίκα μάλα πάντας* (Paphlagones) *κεχηνότας πρὸς αὐτόν* (Luc. Alex. 9).

quissimis temporibus. Loco his annis multum tractato Lucianus personatus haec refert (de salt. 79): *ἡ μέν γε Βακχικὴ ὄρχησις ἐν Ἰωνίαι μάλιστα καὶ ἐν Πόντωι σπουδαζομένη καίτοι σατυρικὴ οὖσα οὕτω κεχείρωται τοὺς ἀνθρώπους τοὺς ἐκεῖ, ὥστε κατὰ τὸν τεταγμένον ἕκαστοι καιρὸν ἁπάντων ἐπιλαθόμενοι τῶν ἄλλων κάθηνται δι' ἡμέρας Τιτᾶνας καὶ Κορύβαντας καὶ Σατύρους καὶ Βουκόλους ὁρῶντες·*[1] *καὶ ὀρχοῦνταί γε ταῦτα οἱ εὐγενέστατοι καὶ πρωτεύοντες ἐν ἑκάστηι πόλει οὐχ ὅπως αἰδούμενοι, ἀλλὰ καὶ μέγα φρονοῦντες ἐπὶ τῶι πράγματι*[2]. Bubulcos felicissime illustravit Dieterich (de hymnis Orphicis 3 sqq. = *Kl. Schr.* 70 sqq.). Corybantes quoque et satyri quid sibi velint in ecstatica saltatione, facile intellegitur. Titanes fortasse ex Orphica theologia huc devenerunt, quoniam bubulci eandem doctrinam indicant (cf. tamen Plut. Num. 15, 3). Quod, ni fallor, Philostrati loco confirmatur, qui a nostro invicem accipit subministratque lucem (vit. Apoll. Tyan. IV 21): Anthesteriis Athenienses *αὐλοῦ ὑποσημήναντος λυγισμοὺς ὀρχοῦνται καὶ μεταξὺ τῆς Ὀρφέως ἐποποιίας τε καὶ θεολογίας τὰ μὲν ὡς Ὧραι, τὰ δὲ ὡς Νύμφαι, τὰ δὲ ὡς Βάκχαι πράττουσι.* Increpat Miltiadis depravatos nepotes propheta: *κροκωτοὶ . . . ὑμῖν καὶ ἁλουργία καὶ κοκκοβαφία τοιαύτη πόθεν; . . . νῦν ἴσως ὀμοῦνται* (ephebi) *ὑπὲρ τῆς πατρίδος βακχεύειν καὶ θύρσον λήψεσθαι . . . ἀκούω δ' ὑμᾶς καὶ ἀνέμους γίγνεσθαι καὶ λήιδια ἀνασείειν λέγεσθε ἔπιπλα, μετεώρως αὐτὰ κολποῦντες.* Etsi sophista tam nomen saltationis quam accuratiorem descriptionem consulto devitavit, hoc tamen mihi liquere videtur, Bacchicam illam saltationem, Orphei carminibus simillimam, in qua vento sinus fluctuant, vix distare ab ea, quam auctor *περὶ ὀρχήσεως* descripsit. Quae in Asia in deliciis habebatur saltatio, Attica quoque devenit ad Dionysia. In theatris etiam Naasseni videntur *παρεδρεῦσαι τοῖς λεγομένοις Μητρὸς Μεγάλης μυστηρίοις* (Hipp. ref. haer. V 9; cf. Arnob. VII 33). Neque est, cur hoc factum esse multum miremur, cum in thymelicis certaminibus tunc sacra carmina recitarentur, velut

---

[1] Cf. Artemid. II 37 p. 141, 12 H.: *ὁ χορὸς ὁ περὶ τὸν Διόνυσον, οἷον Βάκχοι καὶ Βάκχαι καὶ Σάτυροι καὶ Πᾶνες καὶ ὅσα ἄλλα ἐστὶν ὅμοια ὀνόματα.*

[2] Hunc locum et insequentem Philostrati Friedländer *Sittengesch.* II[8] 641 ad pyrricham rettulit, nulla alia causa commotus, nisi quod utraque in Asia potissimum saltabatur.

hymnus in Attin, quem ex Naassenorum libris servavit Hippolytus (ref. haer. V 9; cf. v. Wilamowitz *Herm.* XXXVII 1902, 329 sqq.). In omnibus his quae partes fuerint spectandi studio datae quaeque pietati, discernere non possumus. Neque quantum talibus spectaculis religio propagata sit, cognoscimus. Illud vero apparet, omnium sacrarum saltationum unam ecstaticam imperatorum aetate vera vivaque viguisse vita: ceterae umbrae fuere artificiis denuo evocatae.

Appendix

De vocibus in -ιχος

Gregorius Corinthius de dial. dor. 106 p. 290 Schaef. *πύῤῥιχος*, inquit, *ὁ πυῤῥὸς λέγεται παρ' αὐτοῖς* (scl. *τοῖς Δωριεῦσι*). Hoc ad Theocr. IV 20 spectare viderunt interpretes; cf. schol. Theocr. l. s. *ἀπὸ τοῦ πυῤῥὸς πύῤῥιχος κατὰ παραγωγήν . . . ἐστὶν οὖν ὑποκοριστικὸν αἰολικῶς* (i. e. Boeotice). Terminationem *-ιχος* deminutivam esse primus Koenius ad Gregorium Corinthium l. s. e nominibus propriis firmavit. Deinde Lobeck (Proll. Path. 336 sqq.) qua solet copiosa doctrina omnes fere voces in *-ιχος* congessit. Qui etsi Gregorium de Dorica origine terminationis ideo rettulisse iudicavit, quod vocem, quae est *πύῤῥιχος*, apud Theocritum invenisset, illud tamen pro certo habuit ‚deminutionem adiectivorum Atticis insuetam ac ne in commune quidem receptam fuisse, sed haerere in finibus Dorismi' (336). Eandem causam esse, cur grammatici Graeci hanc in deminutivis non numerarent. Postea vero quam Boeckh (CIG I p. 725 b) eam in Boeotorum nominibus propriis frequenter inveniri animadvertit, Lobeckianae disputationis obliti denuo eandem fere sententiam de origine huius terminationis protulerunt, nunc Boeoticam pro Dorica plerique vocantes (Ahrens, Graec. ling. dial. I 215 sq.; Fick-Bechtel *Griech. Personennamen* 28; Kühner-Blass *Griech. Gramm.* I 2^{3}, 280; Brugmann *Gr. Gramm.*^{4} 242). Egerunt praeterea de hac terminatione L. Schwabe, De deminutivis Graecis et Lat. 1859, 49; Usener *Sintflutsagen* 75, 1; Robert *Les noms d'oiseaux* 22, et nuper I. Baunack *Philol.* LXX 1911, 465 sq., 74 (hunc locum Wuenschii debeo benignitati).

Quaestionem si denuo pertractare conabimur, illud praecipue cavendum est, ne falsa specie inducti ea afferamus, in quibus *-ιχος* non suffixum, sed stirpis pars integra est[1], velut *στίχος*, *δόλιχος* (cf. Boisacq *Dict. Et.* 194), *ὕστριχος* (cf. *ὕστριξ*), *μείλιχος* (cf. *μείλιγ-μα*), *κάδδιχος* (Hes. Plut. Lyc. 12, 6; *G. D. I.* III 2, 4650, 10 (Messenae); cf. *κάδδιχος* gen. sing. tab. Heracl. I 51. 181; sed utrumque a *κάδος* derivatum), *βάριχοι* (Hes. et nomen proprium Tarentinum *Ϝάριχος* IG XIV 668 I 17, cf. accus. sing. *ἄριχα· ἄρρεν πρόβατον* Hes.), *μαστίχη* (*μάστιξ*). Qua de causa mittendae quoque incerti veriloquii voces *ἄρριχος*, *ἄρσιχος* (ionica forma legitur Marmor Parium A 55; IG XII 7, 62, 22; Bekk. An. I 446; Diod. 20, 41, 5), *βαρυλλίχα* Laconica, *σμυλίχη· τὸ τοῦ ζυγοῦ τρῆμα, ἐν ὧι ὁ ἱστοβοεὺς καθήρμοσται* (Hes.), *σύριχος* (Alexis frg. 128, II 343 K.), cuius ne forma quidem certa est[2].

Restant voces, quas deminutivas esse nullis dubitationibus obnoxium est, hae:

ὅσσιχος, quod apud Theocritum IV 55 legitur. Cf. Herodian. II 450, 7 Lentz. Doricum esse contendit Gregor. Cor. 108 p. 293 Sch. suo iure.

αἰόλιχος, quae Theocr. I 56 varia lectio antiquitus traditur.

μίκιχος a *μικκός* formatum, quod *μικιχιδδομένων* voci subest (*A. M.* XXII 1897, 338; Meister ad *G. D. I.* III 2, 4499, 6). Huius vocis analogia effecit, ut *παιδικόν* postea in *παίδιχον* nonnumquam mutaretur (*B. S. A.* XII 371, 31, 6 et saepius).

ὄψιχα· ὀψέ· Βυζάντιοι Hes. (Byzantium Megarensium colonia fuisse videtur, *Realenc.* III 1 col. 1128).

---

[1] Quamquam verisimile est suffixum *-ιχος* ab eis nominibus profectum esse, in quibus stirpis pars erat. Sed nunc unum illud quaerimus, ubi terminatio stirpe non favente libere deminuendi gratia addita sit.

[2] *Συρίσκος* tradunt Poll. VII 174; Hes., *σύρισσος* Poll. X 129 deberi videtur contaminationi cum *ὕρισσος· φόρμος* Hes.; Herodian. I 213, 11 = II 449, 16 Lentz.; Ar. frg. 569, 5, I p. 536 K. Quam vocem Phrynichus (soph. praep. 116, 4 Borries) *ὕρισχος* scribit. In utroque comico tamen ⏑⏑– metro flagitatur. *Σύριχος* et *συρίσκος* vario deminutivo suffixo coniungi possunt, sed *ὕρισος* (*ὕρισσος*) separandum est. Quae cum non certa sint, malui hanc vocem omittere.

τέσσιχον (*τεσσιχον* cod.)· *τὸ μικρόν* Hes., quod non Atticum esse forma *τεσσ-* pro *τοσσ-* demonstratur, originem tamen nescimus.

ὀρτάλιχος (testimonia congessit Blomfield, Gloss. ad Agam. 53, cf. *ὀρταλίς*) Boeoticum esse testantur Aristophanes (Ach. 871 cum schol.) et Strattis (frg. 47, 4, I 725 K.). Eandem vocem Atticam fuisse probe docet tragicorum exemplum (Aesch. Ag. 53; Soph. frg. 725 N.²). Sed cum comici Boeotos irrideant, differentia usus inesse debet. Et adhibent vocem Attici pro pullis omnium avium (*τὰ δὲ πρόσφατα ὀρνύφια ὀρταλίχους, ἀλεκτρυόνων τε νεοττοὺς ἀλεκτοριδεῖς λέγουσιν.* Aristophanes Byzantius ap. Ael. h. an. VII 47; p. 111 Nauck), Boeoti vero pro gallis (schol. Ar. Ach. 871). Boeotica notione vocem Theocritus adhibuit in Hyla (13, 12) pro pullis gallinaceis. Utramque significationem notavit Hesychius: *ὀρτάλιχοι· μήπω πετόμενοι νεοσσοί· καὶ οἱ ἀλεκτρυόνες.* Longior fui in hac re explicanda, ut appareat Atticos hanc vocem non a Boeotis accepisse, quod dissuadet significationis varietas. Exstant praeterea alia in Attica dialecto, quibus ut externam originem adiudicemus, nulla inveniri potest causa. Sunt *ἀρύστιχος*[1], *ἄστριχος*[2], *κόψιχος*[3] (deminutivum esse demonstraverunt Bezzenberger-Fick *B. B.* VI 1881, 237).

Subiungo incertae originis glossas *κονάριχον· γλαφυρόν* Hes., quod deminutivum esse collato *κοναρόν* (*κοραρόν* cod.: em. ed. Hag.)· *εὐτραφῆ, πίονα* Hes. vidit Lobeck (l. s. 338); *θρύψιχος* (*θρύψικος* cod.: coll. Cram. An. Ox. II 20, 23 corr. Schmidt)· *τρυφερός, μαλακός, αἰσχρός, χαῦνος* Hes.; sed hanc vocem si quis e *θρυψίχρως* (Hes. s. v.) breviatam esse dicat, non repugnem; *ψάρι[γ]χοι· ψάροι* Hes.; *σαβαρίχη*, siquidem revera cum *βάρ-αθρον* con-

---

[1] Ar. Vesp. 855; Phrynich. frg. 40, I 381 K.; inscriptio Aeginensis Attica dialecto conscripta CIG II 2139, 19; Poll. VI 19; X 75; Phryn. praep. soph. 48, 17 Borries; Et. M. 151, 2; Hes. s. v. *ἀρύστεις* et *ἀρυστίχους*, omnes ex eodem Atticistarum onomastico, cui etiam schol. Ar. Vesp. 855 sua debet; cf. *ἀρυστίς, ἀρυστήρ*.

[2] Antiphanes frg. 92, II 48 K.; Hes. s. v.; Bekk. Anecd. I 454, 32; Poll. IX 99; cf. *ἀστρίς*.

[3] Testimonia congessit E. Robert *Les noms d'oiseaux en Grec ancien*, diss. Basil. 1911, 23, qui etiam de Attica vocis origine recte iudicavit.

iungenda est, cf. Solmsen *I. F.* XXX 43; *βυστίχοις· τοῖς ἐν θαλάττῃ βρόχοις* Hes. (cf. *βυθός*).

Apparet igitur voces in *-ιχος* inveniri apud Dorienses et Atticos, deesse tam in Ionica dialecto, quam in Aeolica. Nulla vox in *-ιχος* ex Attica in communem dialectum recepta est.

Eadem fere nominibus propriis edocemur. *Ὑποκοριστικά* longe plurima in Boeotorum finibus occurrere iam dudum viri docti cognovere (cf. supra 105 allata et Neumann, De nom. Boeot. propr., diss. Reg. 1908, 59). Antiquiora affero missis testimoniis, ubicumque in indice septimi voluminis Inscriptionum Graecarum facile inveniuntur. *Ἀμέλπτιχος*, *Ἀρνεσίχα*, *Ἀσώπιχος* (Pind. Ol. 14, 25), *Εἴριχος*, *Ἐμ]πεδδίχα*, *Εὐθύμιχος*, *Μαμμίχα*, *Μελάντιχος*, *Μοέριχος*, *Ξάνθιχος*, *Ὀλύμπιχος* (schol. Pind. P. 3, 137). Posteriorum vero (ionicis litteris exaratarum) inscriptionum numerus tantus est, quantus in nulla alia regione. In Thessalia habemus *Πύρριχος* (Bacchyl. 13 (14) 22), *Μανίχειος* (IG IX 2, 405, V. saec.)[1] et *Βουλίχα* (ibid. 155, Pthiotis). Megaris tertio demum saeculo *Παιάνιχος* occurrit, sed antiquiorem esse terminationem coloniae in Ponto docent. *Βοσπορίχους* Byzantios habes ap. Sittig, Nom. theophor. 139, ubi tamen Dem. 18, 90 delendum, addendum *Rev. Archéol.* XVIII 1911, 433. *Δηλόπτιχος* eiusdem regionis est (Sittig, Nom. theoph. 158). Ambraciota *Πύρριχος* invenitur IG IV 1506, 37; Delphius *Κρατήσιχος* *G. D. I.* II 2502, 176. 181, uterque quarto saeculo. In Peloponneso haec habeo antiquiora: Corinthi *Πέλλιχος* (Thucyd. I 29), *Πύρριχος* (Thuc. VII 39), Corcyrae *Πτόλιχος* (Paus. VI 3, 5), Syracusis *Πόλλιχος* (Plut. Nic. 24, 2), *Δώριχος* Diod. 14, 7, 7 (*Δωρικός* codd.: Dindorf), Aeginae *Πτόλιχος* (Paus. VI 9, 1; 10, 9), Cleonis *Σύλιχος* (IG I 441, 9; *Öst. Jh.* XIV *Beibl.* 140), quod cum unum sit vetus nomen in Argolide, monendum est, Co in insula angustissimis vinculis cum hac Peloponnesi parte consociata saepius suffixum inveniri, licet posteriore demum tempore[2]. Tegeae *Πόλλιχος* *B. C. H.* XXXVI 372, 4, *Ἵππιχος* *G. D. I.* I 1231 B 25. In Elide *Λεόντιχον* habemus, siquidem recte Strabo (VIII 347) Rha-

[1] Quod nunc dedit Arvanitopulos *Ἐφ. ἀρχ.* 1912, 76 n. 105 *Μαι*[*ι*]*ν*[*χος*], vix rectum est.

[2] *Βότριχος* *G. D. I.* III 1, 3624 c 70 sq.; *Βώλιχος* 3647, 2; 3651, 1; *Μοίριχος* 3624 b 54; *Ὀλύμπιχος* 3597, 5; *Πύρριχος* 3624 d 46; 3735 a 8.

dinae et Leontichi amores apud Stesichorum inde oriundos dixit neque ex Ionica Samo (Paus. VII 5, 13)[1]. Lacedaemonios novimus *Φ]είδιχον* vel *Μ]είδιχον* Geronthris (*G. D. I.* III 2, 4527= I. G. A. add. 174, 67), deinde *Πύρριχον*, quod nomen saepius occurrere tradit Aristoxenus (Athen. XIV 630 e; cf. Paus. III 25, 2), *Τυρίχαν* Tarenti (IG XIV 668 II 18). Theocriti cognomen *Σιμιχίδα* Coum an Syracusanum fuerit, nescimus.

Iam Atticae fines accedentes amplam nominum in *-ιχος* messem colligimus. Quarto saeculo antiquiores appono, missis Corporis numeris: *Ἀθένιχος, Ἀμοίβιχος, Ἁβρώνιχος* (Herod. VIII 21; Thuc. I 91), *Μήτιχος* (Poll. VIII 121; Hes. s. v. *Μητίχου τέμενος*; cf. Bekk. An. I 309, 17), *Ὀλύμπιχος* (in vasculo r. f. severae artis Berolinensi Furtw. *Beschr.* 2252), *Σεμιχίδες, Στρόμβιχος* (IG VII 3500; Thucyd. I 45; VIII 15 et saepius), *Σοσίχιος, Σοφ]ρόνιχος* (IG I suppl. 373, 25 p. 82), *Τέττιχος, Φρύνιχος, Φιλόνιχος*. Euboea quoque horum nominum bonam partem habet. Hymnorum poetam *Τύννιχον* Plato commemorat (Ion 534 d), in lamina plumbea Styrae legitur *Ἀμύνιχος* (I. G. A. 372, 11). Deficientibus testimoniis antiquioribus laterculum civium Eretriensium addo ineunte saeculo tertio conceptum *G. D. I.* III 2, 5313, ubi *Ἀγαθώνιχος* (l. 10), *Κορώνιχος* (48), *Φιλώνιχος* (13; 78; b 123; 131), *Φρύνιχος* (77), *Ὠρώπιχος* (d 286). In titulis eodem fere tempore exaratis, quos Kuruniotis edidit (*Ἐφημ. ἀρχαιολ.* 1911, 10 sqq.), *Φιλώνιχος* (e. g. 14 l. 50; 67), *Φρύνιχος* (14 l. 50. 70. 71) saepissime occurrunt, praeterea *Πύρριχος* (18 l. 45), *Ἡγήλιχος* (? 18, 49; malim *Ἡγήλοχος*), *Ὀλύμπιχος* (20, 44), *Ἐπαίνιχος* (21, 10). Tantam copiam nisi in Boeotia et Attica nullo alio loco invenies.

Contra videas Ionica: Amorgi quinto saeculo est *Σωτήριχος* (IG XII 7, 143), sed Amorgi Doriae nominum formae inveniuntur velut *hιππόλα* (genet. IG XII 7, 144) *Σᾱτέλης* (IG XII 7, 106). Simonides apud Callimachum (frg. 77) audit *Ὑλλίχου νέπους*, quod nihil aliud nisi demotici *Ὑλιχίδου* formam esse vidit Schneidewin (Coniect. crit. 170). Rectius vocem per *λ* sim-

---

[1] Samios postea celeberrimam fabulam sibi vindicasse nihil demonstrat, neque quae de infelicium amantium votis narrat Pausanias, anticum cultum sapiunt. Sed Stesichorus utrum Leontichi nomen acceperit an finxerit, nemo diiudicare potest.

plicem scribi docent tituli IG XII 5, 609, 103; 637. Est igitur cum *ὕλης* voce coniungenda. Deli habemus *Μαψιχίδων* tribum (e. g. IG XI 2, 124, 60 et passim), sed veriloquium ignoramus. Ibidem occurrit dea *Πιστίχη* vel Venus *Πιστίχη* (*B. C. H.* XXIX 1905, 218, 75; XXXIV 1910, 411, 65; 412, 66), non antiquis tamen temporibus, ita ut in medio relinquas, indigena an advena sit. Ibi anno 230 a. Chr. fuit *Σκύλλιχος ἄρχων* (*B. C. H.* XXXII 1908, 107, 3; IG XI 2, 124, 57). Restant *Στρόμβιχος* Leri exeunte quarto saeculo (*G. D. I.* 5520, 15), *Οἴνιχος* (IG XII 8, 275, 4) et *Τέτριχος* (IG XII 8, 277 A 2) quarti saeculi theori Thasii; ibidem erat *Φρυνιχίδεω φρέαρ* Hippocr. epid. I 10, II 706 Litt.; praeterea *Ὀλύμπιχος* Samius rerum scriptor (FHG IV 466; *Inschr. v. Priene* 37, 109. 120), cuius tempus ignoratur. *Μητρίχη* mater Parianorum duorum in epigrammate incertae originis, quod quarti saeculi esse recte dixit Kaibel (Epigr. Graec. 86), aeque nihil fere demonstrat. *Ἀμοίβιχος* inter Psammetichi mercenarios (I. G. A. 482) cuias sit, ignoratur. Idem fere valet de meretrice *Δωρίχα*, quam Sappho commemoravit (frg. 138 B.)[1]; nomen praeterea occurrit apud Siculos (Diod. 14, 7, 7). *Νάννιχος* (*Inschr. v. Magnes.* 125, 2; 126, 1, cf. Phrygium nomen *Νaννώ*, Kretschmer *Einleit.* 341) recentis aetatis est.

Haec sunt nomina in *-ιχος*, quae mihi innotuerunt antiquiora; recentiora ubique non recepi, cum eis nihil effici possit. Apparet non aliam esse rationem propriarum quam appellativarum vocum. Occurrunt apud Dorios, tam Peloponnesi quam septentrionis usque in Thessaliam, apud Atticos, Euboeae incolas, desunt antiquitus apud Iones tam insularum quam Asiae, etsi in insulis iam quinto quartoque saeculo nonnum-

---

[1] Quodsi Lesbia fuit, conferendum Mytilenaeum nomen *Λαρίχου* (Sapphus frater Athen. X 425 a, Mytilenaeus apud Philippum Macedonem Arr. An. III 6, 5, cf. de eius posteris Hiller v. Gaertringen *Inschr. v. Priene* p. 27) Deminutivum esse dixit Brugmann *Gr. Gramm.*[4] 71 et nunc Wilamowitz *Sappho u. Sim.* 23, 1. Qua de causa fortasse in Lesbia quoque dialecto terminatio *-ιχος* agnoscenda, saltem in nominibus propriis. Pamphylium *Ϝαίνιχος* omisi (Kretschmer *K. Z.* XXXIII 1895, 263, 88). Neque enim facile quisquam hanc vocem ab Aetolo *Αἴνιχος* (IG IX 1, 430), Eretriensi *Ἐπαίνιχος* seiunget, et vocem *αἶνον* nulla digammi vestigia demonstrare Kretschmer monuit. Possit autem *Ϝαίνιχος* Doricae Pamphyliae dialecti parti deberi (Thumb *Handb. d. gr. D.* 298). Sed unde digammum acceperit, alii videant.

quam reperiuntur[1]. Neque hoc quisquam mirabitur, qui quam facile in insulis, ubi Dores Ionesque permixti habitabant, nominis forma migrare potuerit, consideraverit. Quae omnia unam hanc patiuntur explicationem: terminatio Dorica -ιχος e Graeciae occidentalis quae vocantur dialectis in Atticam et Euboeam devenit. Alia quoque accepisse has regiones ab occidentalis Graeciae dialecto velut assimilationem ϱϱ e ϱσ, ττ pro σσ docuit Solmsen (*Rh. Mus.* LIX 1904, 489; cf. *Beiträge zur griech. Wortforsch.* I 12)[2]. Quodsi pyrricham Megarae Athenis Amarynthi invenimus (supra 28 sqq.), nihil iam obstat, quominus ubique indigenam putemus. Adiectivum πύϱϱιχος praeterea legitur de bobus rubris, quae ab Epiro oriundae dicebantur (Arist. H. A. III 21, 522 b 24; IX 7, 595 b 19[3]; Varro r. r. II 5, 10; Plin. N. H. VIII 176; Theocr. IV 90 cum schol.). Qua de causa Epiroticum quoque nomen fuisse videtur[4]. Vel hac voce igitur, quae supra demonstrabam, firmantur.

---

[1] Notandum est in Creta quoque deesse vetustiora exempla (omnino duo novi Ἀστύδιχος *G. D. I.* III 2, 5107 (?) et Μελιστίχα 5008).

[2] Eodem plane modo nomina in -ώνδας occidentalis dialecti recurrunt in Euboea. Solmsen *Beitr. z. griech. Wortforsch.* I 99; adde nunc Bechtel *K. Z.* XLV 1912, 157.

[3] Utroque loco Πυϱϱίχας scribendum est, licet priore Πυϱϱιχὰς tradatur, quod Dittmeyerus recepit. Quae secuntur III 11 p. 522 b 25 τὰ τὴν ἐπωνυμίαν ἔχοντα ταύτην ἀπὸ Πύϱϱου τοῦ βασιλέως, quominus cum Dittmeyero glossema putentur, obest scholiasta ad Theocr. IV 20, qui haec iam in Aristotelis textu legit. Tamen sic stare non posse, quae traduntur, concedo. Tempto coll. schol. Theocr. l. s. ἀπὸ Πύϱϱου τοῦ ἐκεῖ βασιλεύσαντος apud Aristotelem ἀπὸ Πύϱϱου τοῦ ⟨ἐκεῖ⟩ βασιλέως. Sic enim quin philosophus regem Epirotarum longe notissimum significare potuerit, mihi non dubium videtur. Scholia Theocritea Historiam Animalium saepissime attulerunt (II 17. 49; VII 22. 57. 140. 141); qua re nostro quoque loco eorum auctoritas firmatur.

[4] Burricus „mannus", quam vocem cum Graeca πυϱϱίχου coniungere studebat Du Cangius (Gloss. med. et infim. lat. s. v.) longam i habet, id quod demonstrant linguae Romanicae (Meyer-Lübke *Rom. etymol. Wörterb.* 106, 1413).

Index

Religionsgeschichtliche
Versuche und Vorarbeiten
begründet von
Albrecht Dieterich und Richard Wünsch
herausgegeben von
Richard Wünsch und Ludwig Deubner
in Königsberg i. Pr.
XIII. Band. 3. Heft

De saltationibus Graecorum

capita quinque

scripsit

Kurt Latte

Gießen 1913
Verlag von Alfred Töpelmann (vormals J. Ricker)

Für Amerika: G. E. STECHERT & Co. 151—155 West 25th St., NEW YORK

Das Titelblatt für Band XIII ist hier beigefügt.

Ein ausführliches Verzeichnis der Sammlung ist hinten beigeheftet.

V. Band
2. Hälfte

Der Reliquienkult im Altertum

von

Friedrich Pfister

Zweiter Halbband:

Geschichte des Reliquienkultes. Der Reliquienkult als Kultobjekt.

1912 297 S. M. 10.—

Es wird zunächst der Aufbewahrungsort der Reliquien, das Heroengrab, behandelt und der hierin sich zeigende Unterschied vom christlichen Reliquienkult dargelegt, der in der Anwendung des Reliquiars und im sichtbaren Ausstellen von Reliquienpartikeln hervortritt, was auf orientalischen Einfluß zurückgeführt wird; sodann die Lage des Heroengrabes (auf dem Markt, in Heiligtümern, sonst an hervorragender Stelle; Geheimhaltung des Grabes); ferner der den Gräbern gewidmete Kult, wobei auf den Unterschied von chthonischem und uranischem Ritus besonders geachtet wird, weil dem letzteren in der Regel eine Entrückungslegende entspricht. Daran reiht sich ein Kapitel über Heroenfeste und besondere Gebräuche und über Reliquien als Objekt historischen Interesses, dann ein weiteres über die Betätigung der Heroen und ihrer Reliquien. — Der letzte Teil gibt eine Geschichte des Reliquienkultes, handelt über Wesen und Entstehung des Heroenkultes und sein Verhältnis zum Epos, ferner zu Lyrik und Tragödie, geht auf die geographische Verbreitung in der antiken Welt ein, bespricht dann als für die hellenistische Zeit vor allem charakteristisch den Euhemerismus, die Apotheose, die göttliche Verehrung Lebender und die Verallgemeinerung der Heroenwürde und behandelt schließlich die Entstehung und das Wesen des christlichen Reliquienkultes.

XII. Band
2. Heft

Das Schlingen- und Netzmotiv im Glauben und Brauch der Völker

von

I. Scheftelowitz

1912 67 S. M. 2.40

Die Schrift ist folgendermaßen gegliedert: 1. Schlinge und Netz als Waffe des Menschen zur Ueberwindung mächtiger Feinde. — 2. Schlinge und Netz als Götterwaffe. — 3. Magische Schlingen und Netze zur Vernichtung eines Feindes. — 4. Schlinge und Netz zur Verhinderung der Wiederkehr der abgeschiedenen Seele. — 5. Fessel und Netz zur Heilung von Krankheiten. — 6. Fessel und Netz zur Abwehr von Dämonen. — 7. Der Trauerstrick. — 8. Schlinge und Netz im Hochzeitsritual zum Schutze des Brautpaares.

XII. Band
3. Heft

Antike Heilgötter und Heilheroen

von

Ferdinand Kutsch

1913 142 S. M. 4.80

Der Verfasser sucht das gegenseitige Durchdringen wesensverwandter Gottheiten im griechischen Kulte, das Aufsteigen der Heroen zu Göttern und das Aufsteigen der privaten Kulte zu Staatskulten an den attischen Heilgottheiten (Heros, Iatros, Aristomachos, Amynos, Asklepios mit seinem Kreis und Amphiaraos) darzutun. Zu diesem Zweck sammelt er das inschriftliche und bildnerische Material und unterzieht es einer neuen Interpretation. In einem Exkurs sucht er den ältesten Sitz des Amphiaraos zu bestimmen.

XIII. Band 1. Heft

Der Einfluß der Mysterienreligionen auf das älteste Christentum

von **Carl Clemen**

1913 92 S. M. 3.40

Der Verfasser untersucht zunächst, wo die einzelnen genauer bekannten Mysterienreligionen, die eleusinischen, Attis- und Kybele-, Isis-, Osiris- und Sarapismysterien überhaupt nachweisbar sind, und zeigt von neuem, daß die Mithrasmysterien auf semitischem und griechischem Gebiet nur sehr wenig und auch im Westen erst seit den Flaviern verbreitet waren. Dann bespricht er nacheinander den Einfluß der Mysterienreligionen auf die Entstehung und älteste Entwicklung des Christentums, die paulinische Theologie und die Religion der paulinischen Gemeinden, und die nachpaulinische Entwicklung. In ersterer Beziehung wäre s. M. n. selbst dann kein solcher Einfluß anzunehmen, wenn die Taufe schon in ältester Zeit Sündenvergebung hätte beschaffen sollen und das Abendmahl nur mit Brot gefeiert worden wäre; beides glaubt er aber bestreiten zu müssen. Bei Paulus nimmt er einen Einfluß auf den Sprachgebrauch an, dagegen nicht auf die Theologie, auch nicht in der Lehre von Taufe und Abendmahl, in der die korinthische Gemeinde z. T. von den Mysterienreligionen abhängig sein könnte. Stärker wird ihr Einfluß s. M. n. erst in der nachpaulinischen Zeit, beschränkt sich aber auch da auf Anschauungen und Einrichtungen, die mindestens im Keime vorher schon vorhanden waren.

XIII. Band 2. Heft

Die Schlange in der griechischen Kunst und Religion

von **Erich Küster**

1913 etwa 175 S. Im Druck

Der Verf. gibt im ersten, archäologischen Teil der Arbeit eine Entwicklung des Schlangenornaments in Zeichnung und Plastik seit den ältesten Zeiten im Zusammenhang mit der Entwicklung der Spirale und zeigt, wie die künstlerische Darstellung der Schlange im östlichen Mittelmeergebiet ihre ersten naturalistischen Formen erhielt. Sodann werden besonders in der griechischen Kunst die mannigfachen Entwicklungsformen des Schlangenornaments in den einzelnen Stilen vom mykenischen bis zum Beginn der hellenistischen Kunst verfolgt. Besondere Beachtung wird den Schlangen an den geometrischen Gefässen zuteil, sowohl in ihrer künstlerischen wie religiösen Bedeutung.
Der zweite Teil, der unter Heranziehung alles wesentlichen archäologischen Materials die religionsgeschichtliche Stellung der Schlange in Griechenland beleuchtet, enthält folgende Kapitel: I. Die Schlange im griech. Seelenglauben. II. Die Schl. im Heroenkult. III. Die Schl. als Erdgeist. IV. Die Schl. als mantisches Tier. V. Die Schl. als Symbol der Fruchtbarkeit. VI. Die Schl. als Wasserdämon. Durch diese Einteilung und Behandlung der einzelnen Kapitel soll zugleich auf die Schwierigkeit hingewiesen werden, die so verschiedenartigen Vorstellungen vom Wesen der Schlange bei den Griechen unter einen größeren Gesichtspunkt zu vereinigen — es sei denn unter den allgemeinen des chthonischen Grundcharakters dieses Tieres.

XIV. Band 1. Heft

De antiquissimis veterum, quae ad Iesum Nazarenum spectant, testimoniis

scripsit **Kurt Linck**

1913 120 S. Im Druck

Die Arbeit hat den Zweck, von neuem die nichtchristlichen Zeugnisse über Jesus von Nazareth (Joseph. ant. Jud. XVIII 63 sq. Niese, Plin. ep. ad Tr. 95. 96, Tac. ann. XV 44, Suet. Claud. 25) auf ihre Glaubwürdigkeit hin zu untersuchen. Bestimmend hierfür waren folgende Gründe: Zunächst ist die besonders seit dem Erscheinen von A. Drews' 'Christusmythe' (Teil I Jena 1910, II 1911) vielfach entstandene Ansicht zurückzuweisen, daß aus jenen Zeugnissen unbeschadet dessen, ob sie echt oder interpoliert seien, kein Argument gezogen werden dürfe für die Frage nach der Geschichtlichkeit Jesu und nach seiner Sekte. Sodann erschien es zweckmäßig, das im Laufe der Zeit sehr angewachsene und an den verschiedensten Stellen verstreute Material in den Hauptzügen zusammenzufassen und die Echtheit aller vier Testimonia in ein und derselben Abhandlung zu prüfen. Endlich glaubte der Verfasser, auf das Sprachliche der Zeugnisse noch mehr Sorgfalt verwenden zu müssen, als es bisher geschehen ist. Jedem Autor ist ein Kapitel zugewiesen. Die Resultate sind folgende: 1. Die Josephusstelle ist ganz als interpoliert zu betrachten. 2. Des Plinius Brief und Traians Antwort sind echt. Aus jenem erfahren wir einiges über die ersten christlichen Gemeinden von Pontus und Bithynien. 3. Des Tacitus Zeugnis muß in allen Teilen als echt anerkannt werden und ist am wertvollsten. Ihm liegen zuverlässige Quellen zugrunde; wir erfahren daraus: a) Zur Zeit Neros waren Christen in Rom; b) als Stifter ihrer Religion galt dem Tac. Jesus von Nazareth; c) dieser war unter Pontius Pilatus gekreuzigt; d) Jesus ist nach Tac. unter die historischen Persönlichkeiten zu rechnen. 4. Die Worte in Suet. Claud. 25 sind echt und beziehen sich auf einen jüdischen Aufwiegler namens Chrestus, der uns weiter nicht bekannt ist.

G. Pätz'sche Buchdr. Lippert & Co. G. m. b. H., Naumburg a. d. S.